2

DE ORIGINE GENTIS PRINCIPVMQVE BAVARORVM COMMENTARIVS PER QVAM ELEgans, Ioannis Tritemij Abbatis Spanheymensis, Nunc primum in lucem æditus.

Non est Potestas nisi à Deo. Rom. 13.

FRANCOFVRTI.

Cum Gratia & Priuilegio.

1549.

ILLVSTRISSI
MO PRINCIPI AC DOMINO D. IOHANNI
COMITI PALATINO RHENI, DVci Bauariæ, & Comiti in Spanheym, Principi suo clementissimo S. D.

OPTIME institutum est antiquitus Princeps Illustrissime, ut, quarum rerum perpetuam memoriam uelimus constare, eæ quàm fidelissimè Literis mandarentur, & ad posteritatem transmitterentur: Siquidem multorum Virorum Heroicorum atq; illustrium res eximias magnaq; cum gloria gestas, uidemus hominum memoriam præterfugere: Non tam quidem eorum, qui multis ab hinc annis uitam morte commutauerunt, quàm eorum etiam qui nostro sæculo plurimis rebus præclarè & dignis laude gestis, uita defuncti sunt. Huius ego (me herclè) nullam aliam causam rationemq; inuenire possum, nisi, quòd aut ipsi quibus hoc euênit, à litèris alieniores fuerunt, aut certe nemo eruditus tum temporis inuentus est, qui ipsorum uel Genealogiam uel peractæ uitæ seriem bona cum fide posteris reliquisset. Quocirca, etsi nulli

non notum est Dux Illustrissime, tuam Prosapiam non solum uetustissimam esse, quam nimirum inde à temporibus belli Troiani originem traxisse scriptores perhibent, uerumetiam tot Illustrium Principum, & uirtute & Fortitudine præstantium uirorum in uestra familia, successu gloriari & superbire: Tamen multum debetur huic Authori, qui sua industria conatus est hanc tam celebrem Genealogiam Laudatissimorum Ducum Bauariæ, tuorum parentum, in quendam Catalogum congerere, atq; ne intercideret à uetustate uendicare. Mihi uero & Honestas suadet, & innumera tua beneficia cogunt, ut quicquid hoc est officij, quod tibi in hoc Authore Typis excudendo præstare possum, summa fide promptoq; animo efficiam. Neq; uero hîc longiora præconia tuarum laudum, siue de generis tui amplitudine præmittere libet, quod ij prosequi consueuerunt qui Principibus opus aliquod dedicant, cum nemo non norit, maximam in te tuarum uirtutum amplitudinem splendori domestico coniunctam elucere, ut non modò Generis claritatem à Deo Max: uidearis cum gloria esse consecutus, sed etiam cum generis nobilitate, Iusticiam, Prudentiam, & Fortitudinem: Quodq; ex omnibus maximè admiror, præcipuum ergà literatos amorem & beneuolentiam.

Quo-

EPISTOLA.

Quocirca ne longior ſim, hanc meam operam qualis cunq; tandem eſt, ob immenſum tuorum beneficiorum cumulum Dux Illuſtriſſime, meæ quaſi gratitudinis Arrabonem boni conſulas, & ſereno vultu ut ſoles, ſuſcipias quæſo. Bene Va le Princeps Illuſtriſſime.

Francofurti ex Offici na noſtra,

19. Calend. Iulij.

ANNO.

1549.

DE ORIGINE GENTIS ET PRINCIPVM SIVE REGVM BAVARORVM, COMMENTARIVS IO annis Trithemij Abbatis Spanheymensis.

BAVARIA, ut quidam dicunt scriptores, nomen & originem a quodam Duce Boioaro quem ante bellum Troianum cū ingenti populo ex Armenia in hanc regionem ferunt aduenisse, ex pulsis habitatoribus admodū rudibus, & qui bestiarum more glandibus vescerentur, terram commisit optimam bobus excolendam.

BOIO Arus Dux Bauariæ primus, a quo gens & regio nomen obtinuit, multis in Bauaria annis regnauit, & post eum filij eius usq; ad excidium Troianum, quorum nomina & res gestas propter nimiam antiquitatem ignoramus.

NORIX, Rex Bauariæ, fortissimi Herculis filius, à quo Bauaria deinceps Norica dicta est, insignem ciuitatem super Danubium construxit, quæ hodie Ratispona nuncupatur, quā Tyberius Cæsar longo post tempore Tyberinā appellauit. Huic Duci Norico, multi per temporum interualla Duces in Bauaria successerūt vsq; ad Tyberium Cæsarem, quorū nomina & res gestas in obliuionem duxit vetustas.

COMMENTA.

BOAMVNdus dux Bauariæ, Princeps nobilis, à Tyberio Cæsare pulsus de Armenia, venit in Bauariam cum Ingrano viro æque nobili, ibiq; multis annis in Bauaros regnauit.

ADELgerus Dux Bauariæ, vir fortis & strenuus, post Boamundum et Ingranum, Bauaris imperat annis multis.

THEOdoro Rex Bauariæ, post Adelgerum supra dictum ducem super Bauaros regnauit, cuius gesta partim habentur dispersa.

GERObaldus Rex Bauariæ, tempore Mauricij Imperatoris, fuit vir Christianissimus, qui inter alios liberos habuit filiam deuotissimã nomine Theodelindam, quam dedit vxorem Othario Regi Longobardorũ, per quam multa bona in Dei Ecclesia facta sunt. Ad hanc sanctam reginam beatus Papa Gregorius quatuor libros Dialogorum & multas Epistolas perscripsit.

GONDOaldus Rex Bauariæ, filius supradicti Gerobaldi, & frater Theodolindis Reginæ, post patrem in Bauaria regnat, tempore Chioleberti Regis Francorum, habens sub se Bauariam & Austriã atq; prouinciam Noricam.

Mortuo Rege Longobardorum Othario, Agilulphus in regem post eum fuit electus, qui relictam eius Theodolindẽ duxit in uxorem, quã beatus Gregorius rogauit per epistolam, ut uirum suũ induceret

ad pacẽ

ad pacem Romanorum ſuſcipiendam, quod et fecit.

Rex Francorum Childebertus, bellum habens cũ Longobardis, Gondoaldũ fratrem Reginæ de Bauaria expulit, propterea quod auxilia ferret Longobardis, eiusq; ducatum Taſſiloni filio Othilonis regis Bauariæ dedit. Lata enim exiſtens Bauaria, aliquando pluribus erat ſubiecta principibus.

OTHILO Rex Bauariæ, & poſtea dux, pater Taſsilonis fuit, habuit vxorem Hiltrudẽ ſororem Pipini regis, patris videlicet Caroli magni, ex qua genuit ipſum Taſsilonem.

TASSILO dux Bauariæ, filius Othilõis regis, expulſo Gondoaldo conſanguineo ſuo per Childebertũ, ducatum eius ab ipſo Childeberto rege Francorum ſuſcepit: Vxorem habuit Lintburgem Filiam Deſiderij vltimi regis Longobardorum, quæ peperit ei Theodonem filium, quem ſanctus Rupertus Epiſcopus Vvormacienſis Ratiſponæ baptyzauit, Anno domini. DCXII. Hic genuit Theobertum filiũ.

Taſsilo dux Sclauos deuicit, cõſtruxit monaſteriũ Lauriſsam & alia multa. Othilo vero pater eius, inter alia etiam fundauit monaſterium Inferius Altha, ordinis ſancti Benedicti in Bauaria, quod adhuc hodie extat.

Deſiderio rege Lõgobardorũ per Carolũ magnũ deuicto, & in captiuitatem acto, filia eius Lintburgis vxor Taſsilõis, virũ ſuũ indeſeſsis precibus & lachry-

mis eo tandem perduxit, ut confœderatis sibi Hunis in vindictam patris, Carolum Magnum nepotem suum bello aggrederetur.

Adrianus Papa, missis legatis ad Tassilonem ducẽ Bauariæ, monuit eum ut se Carolo subiiceret, qui precibus legatorum persuasus, venit Vvormaciam ad Imperatorem legatis se comitantibus, ibiq; in fidem Caroli iurauit, sed non permansit in fide, vnde ab Adriano Papa fuit cum omnibus sibi adhærentibus excommunicatus.

Carolus à Roma post coronationem suam reuersus Vvormatiam, Tassilonem ex principum consilio ad terminum vocauit, obedientiam & fidelitatem ab eo exegit, sed Tassilo nec ad conuentum principum uenit, nec Imperatori uoluit obedire.

Commotus Imperator, Bauariam ac Tassilonem bello aggressus, tribus cinxit exercitibus: Ipse cum vno exercitu castra posuit iuxta Augustam, inter Bauariam & Alemaniam, in loco qui dicitur Leche. Pipinus filius eius aduenit cum Italis in valle Tridentino, & Saxones cum Francis ad Danubium venientes, Bauariam triplici agmine circumdederunt. Tandem dux Tassilo videns se imparẽ tantis exercitibus, veniam petit, camq; impetrat dato filio suo Theodone cum alijs duodecim pro obsidibus in manus Imperatoris.

Carolus Pascha in Ingelheym celebrat, ibi iubet adesse ducem Tassilonem, qui cum venisset, grauiter à

Baua-

Bauaris et alijs fuit de infidelitate regi exhibita accusatus, vnde cum iudicio principum capitalem deberet subire sententiam, indulgentia regis, cuius consanguineus erat, ad pœnitentiam cum Theodone filio in monasterium Lauriſſam detrusus, multa postea sanctitate uixit.

Hic Tassilo plurima monasteria in Bauaria fundauit, videlicet Vvelsenbron, Tremmunster, Lauriſſam Vveltenburg et Pfaffenmunster. Muros ciuitatis Patamensis renouauit, & sedem Episcopalem tunc transtulit ex Lauriaco.

Sunt qui dicunt eum à Carolo Imperatore magno in carcere excæcatum, obiectu continuo duarum laminum ignitarum: Quomodocunq; id sit, constat eum in Monasterio suo Lauriſſa, quod antea in strata montensi non longe à Vvormacia construxerat, magnis suptibus vitam sub regula diui Benedicti finiſſe, & ibidē non sine opinione sanctitatis sepultum ferunt.

Tassilone ā ducatu deposito, & Monasterium ingresso, Imperator ducatum Bauariæ Geroldo comiti cōmisit, qui ab Hunis qui sunt Vngari, interfectus est, Anno dom̄i, M CC XC IX. vt patet in Chronica Colonienſi.

Eo tempore quo sanctus Bonifacius Mogūtinam regebat eccleſiam, Occarius & Albertus fratres & dariſſimi duces Noricorum, viri fortes, nobiles ac deuotiſſimi, amore uidendi Romam adierunt, quibus Zacharias Papa narrabat calamitatē quam ab infidelibus

patiebatur, vnde moti Christianissimi duces zelo fidei vna cum Romanis se armis præcingũt, hostes fortiter inuadunt, spolia diripiunt, & eos exire finibus ecclesiæ compellũt, Spolia uero Romanis dimittũt, quoniam non pro bonis corporalibus, sed pro dei honore se uenisse & pugnasse testabantur, quibus Papa inter multas reliquias, quas dedit, etiã corpus sancti Quirini concessit. Hij duo sanctissimi duces in Norica Prouincia multa fundarunt templa.

Mainus dux Bauariæ, tempore Caroli imperatoris magni multa contra infideles fortiter gessit, à quibus tandem interfectus est, vir omnino zelo christianæ fidei excellentissimus, vide cætera quæ gesit in xxv. libro Vincentij capitulo xxi Speculi.

Eodem ferme tempore Lanfridus Vvalramus & Hellandus principes Bauariæ Christianissimi, multa bona ecclesiæ Dei exhibuerunt, pugnantes bella Domini cum magno feruore pietatis: Constructerunt inter alia quatuor monasteria, videlicet Burtochlarum, Schlechdorff, Scheplarum.

Sciendum est, quod pater supra dictorum duorum fratrum, ducum Noricorum Alberti & Occarij fuit Burgundus, cuius vxor, mater eorundem fuit Bauara, e quibus Occarius morabatur in Burgundia in prĩcipatu paterno, Albertus vero iunior annis xij. comitatus habebat in Bauaria. Hi duo apud Pipinium regem patrem Caroli magni, duo & prudẽtissimi & sãctissimi principes, in magno habebantur honore.

Ducum

Ducum Bauariæ originẽ cupientes describere, certo comperimus, eos duces qui hodie Bauariam regũt ex stirpe Caroli magni descendisse, quod ita declarando exordimur. Sãctus Arnulphus maior, dominus Francorum, postea Metensis Episcopus, genuit Anchisem, Anchises genuit Pipiniũ cognomẽto Crassũ, Pipinius genuit Carolum Marcellum, Geruoldũ & Diogenem. Porro Carolus Marcellus genuit Pipinium regem, patrem Caroli magni, Carolomannum & Grisonem ducẽ Bauariæ ex Schnanahilde vxore, quæ fuit filia ducis Bauariæ.

Griffo iste Bauariam ingressus, ducatum sibi iure Hęreditario vendicare cupiens, Tassilonem ducẽ eiecit: Sed Pippinius rex, frater, ducatum Tasiloni restituit, & Grisonẽ in Franciam duxit, dans ei duodecim ciuitates more Comitum, qui minime contentus, multa in fratres bella commouit, vnde parum fortunatus quinto post anno interficitur.

Expulso itaq; Griffone de Bauaria per Pipiniũ fratrem, Tassilo ducatum obtinuit, quem tandem Carolus magnus filius Pipini (vt dictum est) deposuit, & prouinciam comitatibus siue præfectis commisit.

Pipinius itaq; frater Griffonis genuit Carolum magnum, qui post deditionem Tassilonis ducis, Bauariam aliquanto tempore nõ per duces, sed per Comites fecit gubernari. Carolus autẽ genuit Ludouicum cognomento Pium, qui ei successit in Imperio, cuius secũda vxor fuit Iudith filia Vvelff comitis Bauariæ, vnde

et ducē eum ſeu regem Bauariæ, exactis comitibus cō-ſtituit. Genuit & Carolum, quem regem Alemaniæ conſtituit, et Pippinum, quem fecit regem Aquitanię & Hiſpanię. Carolo magno Imperatore mortuo, Et Aquiſgrani ſepulto, Ludouicus dux Bauariæ filius ei-ius ſucceſsit.

Ludouicus cognomento pius, filius Caroli magni, & poſt eum Romanus Imperator, habuit vxorem nomine Margaretham, ex qua tres filios ſuſcepit: Lotharium, Pippinum, & Lodouicum, quorum primū Lotharium Bauarię prę-fecit, qui etiam poſt eum imperator fuit. Mortua vxore Margaretha, aliam duxit nomine Iudith, filiam Vuelff Comitis Bauariæ, quæ habuit filium Carolum caluum poſtea Imperatorem, cui dedit Alemaniam, Rheciam, & partem Burgundiæ, Anno 833. habuit filiam nomine Petronellam.

Ludouicus pius Imperator, poſt multa egregie facta obiit, Metis ſepultus, Cui Lotharius filius eius rex Bauarię ſucceſſit, contra quem fratres eius grauiſſimum apud Altiſodorum bellum mouerunt, In quo multa milia hominum cecidiſſe antiquitas teſtatur.

Lotharius iſte Imperator, vxorem habuit Egillam filiam regis Anglię, quæ peperit ei duos filios, Lotharium, & Ludouicum, qui ei in Imperio ſucceſsit Ab hoc Lothario Lotharingiam appellatam eſse ferunt.

Ludouicus, filius Ludouici pij Imperatoris, ſublimato in Imperium Lothario fratre ſuo, ipſe regnū Bauariæ & Alemaniæ obtinuit, qui habuit tres filios:

Caro-

Carolum poſtea huius nominis tercium Imperatorẽ, Ludouicum regem Francorum, Carolomãnum vltimum regem Bauariæ.

Carolomanno rege Bauariæ mortuo,& in Etingẽ ſepulto,frater eius Ludouicus rex Francorum Orientalium,ſibi Bauariam ſubiugat, Arnolpho fratris filio dedit ducatum Carinthię & Moſsburgum, Et ſic ceſſauerunt reges in Bauaria.

Ludouicus frater Carolomanni , rex Francorum Orientalium,habito bello cum Noromãnis Francfordiæ ad Mœnũ moritur,& in Monaſterio Laurifſa ſepelitur,& Arnulphus ad ducatum Bauariæ redĳt.

Anno Domini Dccclvi. Lotharius imperator Imperium deſeruit, cum iam imperaſſet annis xv. & aſſumpto peregrino habitu Monachus factus eſt in Monaſterio Prumiẽſi, ordinis ſancti Bñedicti,cui Ludouicus filius in Imperio ſucceſsit annis xxi.

Ludouicus huius nominis ſecundus,filius Lotharĳ Imperatoris, patri in Imperio ſuccedens imperauit annis xxi. Cuius pater Lotharius ante Imperium rex Bauariæ fuit,quemadmodum paulo ante docuimus. Vxor huius Ludouici imperatoris fuit Theodeberga filia Caroli calui patrui ſui, quę peperit ei unũ filiũ Carolũ nomine, & filiam vnam nomine Gillam, quã dedit Boſoni cuidam nobili, & fecit eum ducem Burgundię. Poſtea dimiſit Imperiũ filio ſuo Carolo caluo, & Monaſterium ingreſſus obĳt.

Carolus caluus filius Lodouici pĳ imperatoris, &

Iudith filia Vulpi comitis Bauariæ post Ludouicū ne potem suū imperauit annis ferme quatuor, vxorē habuit Adeldrudē sororē Bosonis ducis Burgūdię quę peperit ei filium vnum Ludouicum nomine, & duas filias Theobergam quam dedit Ludouico regi nepoti suo vxorem, & Iudith uxorem Baldeuini comitis Flandriæ. Iste Carolus multa Monasteria construxit.

Carolo caluo Imperatore mortuo, Carolus huius nominis tertius, frater Carolomanni regis Bauariæ & patruus Arnolphi, post imperatorem in Imperio successit annis duodecim, vxorem habuit Adelburgam filiam regis Granatæ. Hic tandem horribili visione inferni territus, multos cognatorū suorū ob malā administrationem populi regniq3, pęnis grauissimis torqueri iussit, imperioq3 dimisso, peregre profectus esse dicitur. Hic non reliquit hęredem, & cognomen eius erat Carolus grossus.

ARNVLphus Bauarus imperator, Carolo tertio ab Imperio deposito, Alnulphus dux Bauariæ filius Carolomanni vltimi regis Bauariæ omnium consensu imperator factus, Imperauit annis xij, vir potēs, diues & fortunatus, qui multa in republica egregie patrauit. Vxorem habuit Agnetam filiam imperatoris gręcorum, de qua suscepit duos filios, Arnoldum, & Bernherum. Arnoldus duxit vxorem Agnetam filiam regis Vngariæ, Et frater eius Bernherus sororem ipsius Agnetis ęque filiam regis Vngariæ, nomine Beatricem in vxorem duxit, hæ duæ sorores filiæ

regis

regis Vngariæ Baptizatę fuerũt in Castro, quod Arnolphus imperator construxit in Bauaria fortissimũ, nomine Scheyern. Arnoldus ducatum Noricorũ obtinuit, et frater eius Bernherus fortitus est comitatũ Scheyern, et comitatum Palatini rheni. Ipse Arnoldus filiam suam nomine Adelheidam vxorẽ dedit Ottho-ni duci Saxonię, quę peperit filium nomine Henricũ, quem Arnoldus ducem Bauariæ fecit, contra volũtatem Bernheri fratris sui comitis Scheyern, Et sic ducatus Bauariæ venit aliquando tempore ad Saxones, Sed postea iterum restitutus est Bauaris.

Agneta imperatrice, matre prędictorum Arnoldi & Bernheri mortua, Arnolphus aliam duxit vxorem Lucardem filiam Vulpi ducis Bauariæ, ex qua suscepit duos filios: Ludouicum qui ei successit in Imperio, & Conradum patrem Cõradi Imperatoris primi, qui factus est dux Lottharingiæ, et filiã vnam nomine Lucardam, quam dux Saxonum duxit in vxorem. Habuit etiam filium ex Cõcubina, nomine Rindebaldũ, quem pater postea fecit regem Lotharingiæ, Anno Domini Dcccxcvi.

Arnoldus itaque filius Arnolphi Imperatoris dux Noricorũ, filiam suam Adelheidem vxorẽ dedit Otthoni duci Saxonum, quæ peperit Henricum Ducẽ supradictum, Adelheidam filiam, quæ postea facta est Abbatissa in Quindlingburg virgo sanctæ conuersationis.

Bernhardus frater eius, Comes in Scheyern, genuit

ex Beatrice vxore sua filia regis Vngariæ Otthonem Vvitesbach, comitem palatinum rheni, et Echardum post eum comitẽ Scheyrensem in Bauaria. Echardus genuit Arnoldũ, Otthonem, & Conradũ. Porro Arnoldus genuit Conradũ dictũ, Monachũ de Scheyrẽ, & iste Arnoldus fuit dominus ĩ Dochania, Ottho frater eius in Scheyren, & Conradus in Vorley. Ex his tribus fratribus Echardi Comitis, multi Comites & Principes de Scheyren exorsi sunt, Ita ut quodam tempore in curia quadã Vulpi ducis Bauariæ in Torneamento fuerĩt triginta quatuor Comites, de Scheyren omnes oriundi, quamuis non omnes ibi moram agerent, vnusquisq; enim in suo dominio constitutus erat, et sic castrũ Scheyern desolatũ incolis, antiquitate tandem ruinosum, in Monasterium mutatũ fuit. Anno domini M. cxxiiij. vt postea dicemus. Sed omnes isti xxxiiij. intra annos tres postea obierunt, prçter duos, Arnoldum de Dochania & Otthonẽ de Scheyrẽ, qui Arnoldus domius Dochanię genuit Cõradum, Conradus genuit Arnoldũ & Conradũ, Arnoldus genuit Conradũ ducem Ruthenorũ, qui iuxta Mediolanum fuit occisus & in Scheyren sepultus.

Arnolphus imperator potens, & egregius Christianę fidei defensor, Normannos atroci bello superauit, innumerabiles eorum occidit, eosq; de Christiano rum finibus postea, qui annis quadraginta Alemaniã vexauerant eiecit, Sigifridũ regem Normanorũ, & Gotfridum regem Danorũ, eodẽ bello interfecit.

Re-

Reuersus ex Gallia de cęde Normannorũ imperator in Bauariã, corpus beati Dionisij Areopagitæ secũ tulit, quod in Monasterio sãcti Hemerani martiris Ratisponã locauit, vbi adhuc hodie hõorifice seruatr.

Cõradus ex Lucarda secunda vxore Arnolphi imperatoris, dux Lotharingiæ, genuit duos filios, Eberhardũ qui occisus fuit, Et Conradũ postea Romanorũ imperatorẽ, cui se Arnoldus frater patris sui supradictus opposuit, sicut suo tẽpore postea latius dicemus.

Arnolphus imperator post captã Romam, Normaños deuictos, & alia multa glorioſe facta, obijt. Sũt qui scribunt eum à pediculis consumptum, quos ex nimis frequenti allij cõmestione crescẽtes, nemo aliqua potuerit industria arcere.

LVDOuicus filius Arnolphi Bauarus fuit Imperator. Arnolpho imperatore mortuo, Ludouicus filius eius huius nominis tertius in imperio succesſit, natus ex Lucarda filia Vulpi ducis Bauarię, & sic vtroque parente Bauarus fuit, frater Arnoldi ducis Noricorum & Bernheri comitis de Scheyern, vxorem habuit Lucardem filiam Ludolphi ducis Saxoniæ, sororem Otthonis, & sine liberis decesſit.

Bauari cum Vngaris pugnant & vincuntur, quibus Bauariam & Franconiam atrociter impugnantibus, Iterum se Bauari ad pugnam accingunt, Exercituq; Imperatoris Ludouici concurrente, multos ex Vngaris interficiunt, cæteros in fugam conuertunt.

Conradus dux Lotharingię frater Ludouici impe-

ratoris huius, et filius Arnolphi, genere Bauarus, dolo Adelberti marchionis Bambergensis interfectus est.

Ludouicus tertius, imperator Romanorum, ex patre Bauaro imperatore Arnolpho, sine liberis moritur, Anno Domini, Dcccc. xiij. post quem Conradus filius fratris sui eligitur.

CONRADus imperator, natus ex patre Bauaro duce Ludouico imperatore. Filio Arnolphi mortuo, Conradus filius fratris sui Cõradi ducis Lotharingiæ, quem Adelbertus Marchio Babenbergensis interfecerat, ex linea Caroli magni, vltimus in imperio factus est imperator. Nõ habuit vxorẽ Eberhardus, de quo postea dicemus.

Arnoldus dux Bauariæ, frater Conradi, pater huius Cõradi regis Romanorum, filius videlicet Arnolphi Imperatoris, oppositus se huic imperatori Conrado, ã quo tandem victus, cum vxore & liberis fugit in Vngariam, vsq; ad mortem ipsius Conradi.

Conradus rex, expulso de Bauaria duce Arnoldo, Henricum ducem Saxonum pari modo expugnare cogitauit, obsedit itaq; Mersburg, ibi ex parte regis ceciderunt: Euerhardus frater eius, & Hatto Archiepiscopus Moguntinus, & ipse vix euasit. Inde Henricus dux Saxonum omnem terram regis deuastauit.

Conradus rex moriturus, coronã regni misit Henrico supradicto duci Saxonum, qui post eum regnauit, & obijt in Francia Orientali, apud Herbipolim sepultus.

ARNOLdus dux Bauariæ, audita morte Conradi regis, ex Vngaria in Bauariam reuertitur, et ab omnibus honore magno susceptus est, rogantibus cūctis ut regnum Romanorum dignaretur suscipere. Post mortem Conradi, cum Henricus dux Saxonum in regno succederet, eiq; omnes principes pręter Arnoldū prędictum Bauarię ducem obedirent, congregato exercitu suo Henricus contra eum processit in bellum, & obsedit Ratisponam. Et dux Arnoldus vidēs se tantę multitudini non posse resistere, portas aperuit, graciam pecijt, & impetrauit. Pax itaq; inter eos firmissima sub his condicionibus componitur: vt rex duci Arnoldo, plenum feudū siue dominium in omnes Episcopatus in Bauaria conferat, ducatum suū pacifice possidēdum sibi dimittat, eumq; inter amicos præcipuum habeat, & ita factum. Itaq; Henricus in regno permansit, quo mortuo, Ottho primus filius eius successit, post quem Ottho secundus primi, deinde Ottho tertius filius secundi, qui mortuus est sine liberis, Et Henricus dux Bauariæ per electionem principum in Imperio successit, sicuti suo loco postea dicemus.

Sub Otthone imperatore primo, bellum grauissimum fuit in Christianos et Vngaros, eo tempore adhuc infideles apud Augustā erant, vbi ipse imperator cum Christianis triumphauit, ibi ceciderunt Conradus dux Bauariæ, Theobaldus Comes frater sancti Vlrici Episcopi Augustensis.

Bernherus Comes de Scheyrn filius Arnolphi imperatoris,& frater Arnoldi ducis Bauarię de quo supra dictum est,qui fuit pater Ecchardi & alterius Bernheri comitum, Vngaros contra imperatorem eduxit, à quibus magna clade accepta, tanq̃ totius mali occasio interfectus est.

Causa belli fuit ista: Comes Bernherus ducatū Bauariæ vt legittimus hæres postulabat, cui fratris filij quorū vnus imperator,contradicebant,vnde commotus, Vngaros pro ferendo auxilio inuocauit.

Bernhero Comite de Scheyrn ab Vngaris occiso, Ecchardus & Bernherus filij eius ī locum patris succedentes,ducatum Bauariæ postulabāt, quē Ecchardus tandem obtinuit.

Arnoldus dux Noricorum moritur, relinquens inter alios liberos Rudolphum ducem post eum, & filiā nomine Lucardam, quam Henricus dux Saxoniæ postea etiam Bauariæ, filius Henrici Imperatoris primi,& frater Otthonis primi, duxit in vxorem,vt postea dicemus.

RVDVLphus dux Bauariæ,filius Arnoldi ducis Noricorum, mortuo patre, ducatum eius obtinuit, vxorem habuit Rixam filiam Henrici imperatoris primi, sororem Otthonis primi, quæ peperit ei tres filios, Conradū qui fuit sine liberis interfectus, Vdonem qui & ipse sine liberis obijt,& Vulpi siue Vvelff Comitem de Scheyrn.

Rudulphus dux Bauariæ post mortem Henrici re-

gis primi, Otthoni filio eius imperatori rebellat, vnde ex duce Bauariæ factus est Comes in Scheyrn.

HENRICVS Saxo dux Bauariæ, filius Henrici imperatoris primi, & frater Otthonis primi, redacto in Comitem Rudolpho duce Bauariæ, Ipse ducatum Bauariæ suscepit, Et sic ducatus Bauariæ mansit apud Saxones vsquè ad Henricum imperatorem tertium, sub quo deficiente stirpe huius Henrici, ducatus ad nepotes Rudolphi supradicti comitis reuersus est, vt suo locò dicemus Vxorem habuit Henricus iste dux, Lucardem filiam Arnoldi ducis Bauariæ, sororem supradicti Comitis Rodulphi, quæ peperit ei duos filios, Brunonem Marchionem Saxoniæ, & Henricũ post eum ducem Bauariæ, ac filiam vnam nomine Gerburgem Abbatissam in Gandersheym. Et q̃ duces omnes Bauariæ modernos à stirpe Caroli Magni diximus descendisse, oportet nos seriem generatiõis à Rudolpho Comite & duce continuare, quique duces Saxonum sint per aliquot annos interpositi, quousq; ad nepotes ipsius Rudolphi ducatus Bauariæ reuertatur, vt dictorum veritas omnibus clarius luceseat. Rudolphus ex duce Comes Bauariæ, vna cum fratribus suis ducem Henricum sororis suæ maritum tanquam paternæ hæreditatis inuasorem persequitur, Ratisponam obsedit & cepit, vxorem Henrici cum filijs eiecit. Nota quod Arnoldo Bauariæ duce mortuo, Otthо Imperator primus Bertholpho fratri eius commiserat, quo etiã mortuo, Henricũ fratrem suum ducẽ constituit, vt dictũ est.

VVlpi Comes Bauariæ, filius Rudolphi Comitis ſupradicti, vxorẽ habuit Adelheidam filiam comitis Inferioris Baden, quæ peperit ei filium nomine Conradum, cuius filius Vulpi, ducatum Bauariæ iterũ obtinuit, ſicut poſtea dicemus.

HENRIcus dux Bauariæ, filius ſupradicti ducis Henrici Saxonis, fratris primi Otthonis patris, in ducatu Bauariæ ſuccedens, habuit vxorem Bertham filiam ducis Lotharingię, quę peperit ei tres filios, et duas filias, Henricus duos, quorum ſenior poſtea imperator fuit, Brunonem Epiſcopum Auguſtenſem, Giſelam vxorem ſancti Stephani regis Vngariæ, quę ad Chriſti fidem conuerſa eſt, Et Hetvuigem quam Lotharius Burggrauius Medeburgenſis duxit vxorem.

CONRAdus Comes Bauariæ, filius ſupradicti Comitis Vulpi, habuit vxorem nomine Atzam filiã Marchionis de mõte Calym, quę peperit ei tres filios, Vulpi, qui ducatum Bauariæ ab Imperatore iterum obtinuit, Burchardum Epiſcopum Haluerſtatẽſem, & Simonem Archiepiſcopum Bremenſem.

HENRIcus imperator dux Bauariæ, filius Henrici ſupradicti ducis Bauariæ, mortuo ſine liberis Otthone tertio, electione principum factus eſt Imperator Romanorum, vir ſtrenuus, deuotus atq; ſanctiſsimus, qui multa bona in republica fecit. Habuit vxorẽ Cunegundam filiam Sigifridi Comitis Palatini Rheni moribus & vita ſanctiſsimam, & ambo vſq; ad mortem in ſanctitate per Chriſti amorem permanſerunt,

ambo

ambo etiam cathalogo Sanctorum inſerti ſunt.

Nota, Comitatus Bauariæ fuerunt iſto tēpore plures, videlicet Trubēſis, Valaienſis, Dochanienſis, Andex, Vuitelſbach, Vochburgenſis, Pogenſis Caſtalenſis, Amertalenſis, & Scheyrenſis. Multi per ſucceſsū fuerunt in his locis Comites, quos omnes per nomina recenſere nimis foret prolixum & difficile.

Comitibus de Trube & Voley tādē omnib. mortuis, comitatus eorum ad Comites Dochanienſes peruenerunt, quorum x viij. ſibi inuicē ſucceſserunt in Comitatu, quilibet vno ſolo poſt ſe relicto filio, qui omnes Conradi vocabantur. Vltimo autem Comite Dochaniæ mortuo, tres illi comitatus ad Comites de Scheyren ſunt deuoluti. Comites Palatini de Vuitelsbach pauci erant, quibus tandem etiam deficientibus, comitatus in Vuitelsbach etiam ad Scheyrē eſt deuolutus.

Henricus imperator ex duce Bauariç, inter multa quæ fecit bona, Epiſcopatum Bambergēſem inſtituit, monaſterium montis monachorū ordinis Sancti Benedicti extra ciuitātem conſtruxit, Sancta Cunegunde vxore caſtiſsima, ſibi de ſuo patrimonio opē in omnibus hilariter ferente.

Henricus Imperator Dagonem Cancellarium ſuū virum doctum & ſanctum, Archiepiſcopum Magdeburgenſem conſtituit. Anno dñi milleſimo quarto.

Anno domini M v. Hēricus Imperator Bauarus intrauit Italiam, qui in obſidione cuiuſdam caſtelli captus fuit, Sed adiuuante domino liberatus, per murum

se dimittens euasit,& cum exercitu ad patrẽ remeat. Cum regio Bauarię sit latissima,diuersis ducibus atq; Comitibus diuersis temporibus,aliquãdo uni, aliquãdo duobus, interdũ etiam pluribus fuit per interualla temporum subiecta.

ERNEstus dux Bauariæ, à Paludibus Mœotidis veniens in Bauariam, temporibus Othonis primi Imperatoris, Ducatum Noricorum partitum obtinuit. Idem Imperator Otho dedit ei partem nemoris in prouincia Noricorum, in eo videlicet loco, ubi nunc est Monasterium Castellense ordinis Sancti Benedicti, qui eradicatis syluis, habilem aratris terram fecit. Ab hoc Duce Ernesto multi Bauariæ domini notabiles descenderũt in Norica prouincia,maxime Comites de Castello & Sultzbach.

Ernestus iste Dux Noricorũ vxorẽ habuit Adelheydam,filiam Ducis Burgundiæ,quæ peperit ei filiũ nomine Ernestum,de quo mirabilia narrantur. Mortuo Duce Ernesto seniore, Otho Imperator primus vxorem eius Adelheydam, matrem iunioris Ernesti, sibi matrimonio copulauit, quæ peperit ei Othonem secundum Imperatorem, & Mechtildem filiam, quæ Abbatissa in Quendlinburg fuit.

ERNEstus Iunior Dux Noricorum, filius supradicti Ducis Ernesti mortuo patre, ministerio se dedit magistrorum, vt sermonem latinum,græcum,& Italicum disceret, qui postea miranda fecit.

Henricus Comes Palatinus Rheni, amicus Otho-

nis

nis Imperatoris, hunc Ducem Ernestum odio habēs, apud Imperatorem vitricum grauiter solebat (licet in iuste) accusare, quasi vitæ & Imperij ipsius insidiatorem, quod Ernestum minime latebat: vnde cum Imperator quadam die in Ciuitate Spirensi consilio Comitis Henrici, clausis ianuis secreto vteretur, Ernestus comitante se Vuetzelino Comite patruo, irrumpens ianuas confregit, Henricum Palatinum in latere Imperatoris sedentem interfecit, assumptaq; deinde cruce, cum Vuetzelino patruo & multis alijs, ad terrā Sanctam perrexit. Sed mota in mari tempestate, omnes præter ipsum et Comitem Vuetzelinum, cum aliis paucis, submersi perierunt. Iste Dux Ernestus præclia & multa egregia facta, terra mariq; in multis regionibus longinquis patrauit, quæ habentur in scriptis. Reuersus deinde cum Vuetzelino Comite in patriā, plures attulit homines diuersarum nationū & formarum. Imperator autem comperta eius innocentia, ad graciam suam & filium recepit, constituēs eum dominatorem & principem totius curiæ Imperialis. Anno dñi, M viij. Sāctus Henricus Imperator Dux Bauariæ, Comitem Flandrię Baldevuinū sibi rebellē vicit, sibiq; subdidit, & Gandauum cepit, Bolislaumq; Ducem Poloniæ Saxones crebro deprædantem, facta cō gressione superauit, & ad fidem Christi cum gente sua conuertit, habens in exercitu Sanctum Stephanum regem Vngariæ sororis suæ virum. Henricus sanctus Imperator obijt anno domini M xxv. Bambergæ in

maiori Ecclesia quam ipse construxerat sepultus, cuius gesta in scriptis habentur. Conradus Dux Franconiæ in Imperium successit, post quem Henricus tertius, & post illum quartus imperator.

HENRICVS dux Bauariæ, frater Conradi ducis Sueuiæ, post sanctū Henricum ex duce Imperatorē, Ducatum Bauariæ obtinuit. Hic construxit monasterium in Osterhofen in Patauiensi diocœsi: Regnum Bernhardus & Ecchardus tandem, vt supra diximus: obtinuerunt.

CVNO, dux Noricorum, filius Ecchardi ducis supradicti, Ducatum Bauariæ quem pater obtinuit, post mortem eius assumpsit. Hic fœdus iniit cum Vngaris, quos in auxilium contra Henricum Imperatorē tertium inuocauit. anno dñi, M liiij.

Cuno Dux Noricorum, tandem ab Henrico imperatore de Bauaria pulsus, fugit ad Vngaros. Anno domini, M lv. ibiq; quam diu vixit in exilio permansit. Imperator fratri suo Conrado Ducatū eius donauit, qui paulo post obijt.

CONRADus Dux Bauariæ, frater imperatoris Henrici quarti, expulso Cunone, ducatum eius ab imperatore suscepit, qui non longe postea mortuus est, Anno videlicet domini, M lvi.

AGNes Imperatrix, mater Henrici quarti, post mortem Conradi supradicti, Ducatum Bauariæ ā filio suscepit, quem post aliquot annos Otthoni cuidam nobili degenti Saxonum donauit, de quo postea di-

cemus.

cemus. Anno domini, MIxi. Agnes Imperatrix, mater Henrici imperatoris quarti, Ducatū Bauariæ Otthoni Comiti de Northeym contulit, & ipsa in Italiā perrexit.

OTTHO dux Bauariæ, genere Saxo, Comes in Northeym, ducatum Bauariæ ab imperatrice vt dictum est accepit, vir nobilis, strenuus, iustus, in Aula regis Henrici potens & acceptissimus. Ottho dux Bauariæ prædictus, monasterium prędicti ordinis sācti Benedicti in Northeym fundauit, donans illi plura prædia, & dona comitatus sui. Ottho iste dux Bauariæ, cum clarus esset in aula regis Henrici, & accquireret sibi authoritatem publicam, inuidia quoruudam impiorum hominum, per quendam subordinatum iniuste accusatus, quod in necem regis conspirasset, primum à Curia, deinde etiam à Ducatu pulsus, cum prīcipibus Saxoniæ et Thuringiæ bellum contra imperatorem gerit, Ducatum Bauarię Vulpi seu Vuelff obtinuit.

VVLPi qui et Vuelff, dux Bauariæ, filius Conradi Comitis Bauariæ, Ducatum Bauariæ, quem proaui genitoris sui ante possiderunt, post Otthonem ab Imperatore vt legitimus hæres recepit. Nam proauus eius Rudolphus, filius Arnolphi ducis Bauariæ dux fuit, qui rebellans Otthoni imperatori primo, vt victus ab eo, ex duce Comes de Scheyern factus fuit, sicut supra dictum est. Restituto itaq; Ducatu Bauariæ ad lineam Arnolphi imperatoris, seriem generati

onis Ducum ex Carolo Magno descendentium inceptam prosequamur. Nec sum nescius, quosdam inter scriptores hunc Ducem Vuelff natione Sueuum, non nullos vero Italum filium cuiusdam Marchionis fuisse ausos contendere. Constat autē filium eum fuisse Cōradi Comitis Bauariæ, filij Arnolfi Bauari ducis & imperatoris Romanorum, nec refert vbi natus sit, modo generationis series, Bauariæ ducibus legitimis cōstet descendisse.

Itaq; Dux iste Vuelff desponsauit sibi vxorē Ethelinam filiam Ducis Otthonis Comitis Northeymensis supradicti: Sed pulso à ducatu Otthone, filiā ei remisit, veritus Henricum regem, à quo ducatum acceperat, qui inimicus erat Otthonis, quam Hermannus Comes Vuestphaliæ in vxorē accepit: Postea duxit in vxorē Iuttam relictam viduam regis Angliæ, quæ peperit ei tres filios, & vnam filiam, Henricum cognomento Nigrum, qui Dux Bauariæ post eū fuit, Vulpi, qui in Italiam perrexit, Sigebertum, & Adelheydam quam Conradus Burggrauius Medeburgensis duxit vxorem.

Ottho quondam Dux Bauariæ & Comes in Northeym, contra imperatorē in Saxonia multa prælia habuit, in quorum vno Ernestus Marchio Bauariæ, filius Ernesti ducis senioris, qui sæpe victor in Vngaria & diuersis alijs regionibus extiterat occubuit, Anno domini M lxxv.

Cætera, quæ Ottho prælatus cum Saxonibus contra

impera-

torem fecit, & ab eo passus fuit, & quomodo tandem ad graciam eius receptus est, scripta copiosissime per Lampertum Monachum Hirsfeldensem in gestis ipsius Henrici imperatoris habentur, quæ nimis tœdiosum est hic exprimere.

Vuelff, Dux Bauariæ cognito quod iniuste Saxones ā rege Henrico premerentur, noluit ei contra eosdem auxilium præbere, vnde & hostis reipublicæ iudicatus, etiam ab eo ducatu priuatus est, sed iterum in graciam ab imperatore receptus, non solum ducatum recipere meruit, sed etiam filium suum in ducem Bauariæ confirmari, deinde cruce signatus tempore Vrbani Papę secundi. Anno dñi, M x c vi. ad terrā Sanctā profectus est, & Cypro mortuus, et sui pene omnes, cum multis alijs Christianis, insidijs Alexi Imperatoris Græcorum perempti & capti sunt.

Iste dux Vuelff inter alia quæ fecit, construxit Monasteria, videlicet Steyngarden, Alttorff, Vuingartē Altenmunster, & Nietenbach: Quo mortuo, & in monasterio Artesheym sepulto, Henricus cognomēto Niger, ei in ducatu Bauariæ succesit. Sunt qui scribunt hunc ducem Vuelff post mortem Iuttæ vxoris suæ, matrem Henrici quarti imperatoris, Agnetam duxisse vxorem.

ECC Hardus dux Bauarię, frater Vuernheri de Scheyren, qui pro recuperando patris ducatu, Vngaros tercio contra imperatorem eduxit, de quo supra dictum est, tempore Vrbani Papę secundi, cum Got-

frido Duce Lotharingiæ cruce signatus, ad terram Sãctam profectus est, & Hierusalem à Christianis recuperata fuit. Fuit etiam his temporibus Ottho Dux Bauariæ in Ammerthal, filius (vt quibusdam placet) Ernesti, qui in monasterio Castellensi iacet sepultus. Hic habuit filiam nomine Sophiam, quam dedit vxorem Comiti de Andechs, qui genuit ex ea Bertholdũ Comitem, patrem videlicet Sancti Otthonis Episcopi Bambergensis, & Fridericum Comitem in Amerthal, qui monasterio Castellensi multa bona fecit, ibidemq; sepultus est.

HENRicus Dux Bauariæ cognomento Niger, filius Vuelff ducis supradicti, habuit vxorem Vuolffhildem filiam Magni ducis Luneburgensis, quę peperit ei duos filios, & quatuor filias, Henricum, Vuelff, Sophiam, quã dedit Bertholdo duci Thuringiæ, quo occiso, Marchionem Steyredensem Lupoldum secũdum accepit maritum. Secunda filia vocabat Vuolffhildis, quam dedit Rudolpho Comiti Prægnicensi. Tertiam nomine Mechtildem dedit Marchioni Theobaldo Iuniori, quo mortuo, dedit eam Comiti de Sultzbach. Quartam nomine Iuttam, accepit Fridericus Dux Sueuię, quæ peperit ei Fridericum Imperatorem primum.

VVELF dux Bauariæ, filius Vuelffi Ducis, & frater iam dicti Henrici, vir bellicosissimus, Ducatum Bauariæ fratri dimittens, Italiam petijt, & Mechtildẽ filiam Ducis Mediolanensis accepit in vxorem, qui ãbo sine

bo ſine liberis deceſſerunt. Hic Dux VVelffo multa miranda feciſſe perhibetur, Sueuiāq; igne, ferro, & çę de vaſtauit.

SIGEbertus Comes Bauariæ, frater prædictorū Henrici, & VVelffonis, vxorem habuit Odam filiā Gebhardi Comitis de Suppelnberg, & Dñi in Arnſperg, qui Comes in Bauariæ prouincia manens, fratri Ducatum permiſit.

HENRicus Dux Bauariæ, cognomento ſuperbus, filius ſupradicti Ducis Henrici, vir fortis, & audaciſſimus, vxorem habuit Gertrudem filiam Lothardi Imperatoris ſecundi, quæ peperit ei Henricum Ducem Saxonum nobiliſsimum, qui propter fortitudinem, & res magnifice geſtas dictus Leo, dominiū ſuum a Reno potenter extendit, vſq; ad fluuium qui Albis dictus eſt.

Huic Henrico Duci Bauariæ, Lotharius Imperator cum filiā, Saxoniæ ducatum contulit, a quo omnes Duces de Brunſchvvig, & Lunēburg deinceps, vſq; ad iſtos qui hodie ſunt, per ordinem deſcenderunt, quod ita monſtrabimus facile.

HENRicus enim Dux Bauariæ & Saxoniæ, gener Lotharij, q genuit ex Gertrude vxore ſua Henricum cognomento Leonem, de quo vulgus miranda refert, quod cum griffonibus pugnauerit, Leonē abduxerit de maris periculo, per Griffonem inſutus corio equino portatus fuerit. Et alia quędam multa, quę nec improbo nec affirmo. Is Hēricus genuit ex Mech

tilde sorore Richardi Regis Angliæ filium nomine VVilhelmum, qui patri in Ducatu succeſſit, Ottonẽ quoq; poſtea regem Romanorũ, Henricum Comitẽ Palatinũ reni, & duas filias, Mechtildem & Rixam. VVilhelmus genuit Ottonem ex Helęna filia regis Danię. Otto genuit Albertum & Iohannem, qui duo hęreditatẽ paternam, videlicet Ducatum Brunſvvicenſem & Lunburgenſem inter ſe diuiſerunt, fratribus ad alia prouiſis.

Anno autem Domini M. CC. XXXVIII. Imperator Fridericus ſecundus Maguncię conſtitutus, nomen, & Ducatũ Saxonię ab Ottone ſupradicto, tranſtulit in Albertum filium Henrici Comitis de Anhalt, quem fecit Ducem Saxoniæ, & Imperij Principem Electorem: Et ſic Otto filius VVilhelmi Ducis manſit Dux Brunſvvicenſis & Lunburgenſis. Continuãtur autem Duces ipſi ex linea Henrici Bauari conſequenter, vſq; ad iſtos qui hodie viuũt, incluſiue, quos recenſere per ſingulos, nimis tędioſum eſſet. Sufficit enim, vt certiſſime conſtet, omnes Duces Brunſvvicenſes, a tẽpore Lotharij ſecundi, vſq; ad iſtos deſcendiſſe ex Bauaris.

TRANSLATIO DVCAtus Bauariæ ad Marchionem Auſtriæ.

LOTHArio Imperatore mortuo, Anno Domini M. XXXVII. cum Henricus Dux Bauariæ cognomento ſuperbus gener eius, vir potentiſſimus, Imperium

perium affectare videretur, veriti potẽtiam eius principes, apud Cõfluentiam conuenientes, Cõradum Ducem Sueuiæ in Regem Romanorum elegerunt. Cui cum se Dux Henricus Bauariæ vna cum Saxonibus opponeret, tanquam non rite electo, Conradus conuentum principum in diem Pentecostes ad Bambergam indixit, ad quam diem ipsum Ducem Henricum citauit. Qua causa oẽs, cũ vna cum imperatrice relicta Lotharij cõueniissent, & in gratiã Conradi fuissent recepti, solus ipse non comparuit, habebat autem penes se insignia Imperij, Coronam videlicet Caroli magni, sceptrum, pomum, lanceam Domini, & reliquias, quę modo apud Nurnbergenses conseruantur. Quę cũ rex Conradus ab eo sępius, vt Imperij vasa, postulasset, obtinere nõ potuit: Tandem in die Petri & Pauli Apostolorum ad manus regis Conradi hæc omnia resignauit in Ratispona, Sed gratiam eius nõ obtinuit.

In diebus illis, Innocentius Papa secundus, Regem Conradum nec coronare voluit, nec Italiæ introitum permittere, propter Siciliæ regnum, quod vterq; ad suam potestatem pertinere dicebat, & ab ipso Papa Rogerio, cuidam in fęudum iam datum fuerat, quod Conradus recuperare parabat.

Itaq; Papa Henricum Ducem Bauariç, & VVelff fratrem eius precibus & precio conduxit, vt regi Conrado introitum Italię potenti manu prohiberent. Rogerius quoq; inuasor Siciliæ, adiuuante se Papa, maximum contra regem Conradum exercitum ex Italia,

Gallia, & Sycilia cõparauit. Rex itaq; Cõradus cum Duce Sueuorum Frederico iturus in Italiam, contra Papam & Rogerium, Ducem Bauarię Vuelffonem cum magno Bauarorum, & aliorum exercitu, cõtrarium offendit. Henricus aũt Dux frater VVelffonis, præsenio domi remanserat, factum est itaq; inter eos grauissimũ bellum, in dioceſi Auguſtenſi, iuxta quoddam ordinis ſancti Benedicti monaſteriũ, q̃ Nereſsheym dicitur, ibi Fredericus Dux Sueuorum ex parte regis victoriam obtinuit, & multi ex parte VVelffonis cæſi corruerunt, & ipſe cum paucis vix euaſit.

Iterum Dux Vuelffo cõgregato magno exercitu, contra Fredericũ Ducẽ bellum habuit, prope VVinſperg, circa villam Ellẽhoffen Herbipolenſis dioceſis, in quo & ipſe cecidit, & maior pars exercitus ſui proſtrata fuit.

HENRicus ergo Dux Bauariæ cognomento ſuperbus, principum iudicio excommunicatus, & a Ducatu Bauariæ per Conradum regem depoſitus, pauper & pedeſter, de Bauaria cum vxore, & liberis venit in Saxoniam, & ibi manſit vſq; ad mortem. Ducatum eius Lupoldus Marchio Auſtriæ a Conrado rege accepit.

LVPOLdus Marchio Dux Bauariæ, iſte Lupoldus Marchio Auſtrię, Ducatum Noricorum poſt Henricum Ducem depoſitum a Rege Conrado ſuſcepit. Hic fuit filius Lupoldi ſenioris Marchionis, ex Agnete filia Henrici Imperatoris quarti, quæ ante Lupoldum

poldum habuerat Fredericum Ducem Sueuorum. Mortuo nõ longe post isto Lupoldo Duce, Rex Ducatum Henrico fratri eius contulit.

HENRicus Marchio Dux Bauariæ, frater Lupoldi fuit: Huic post mortem fratris, Conradus Rex, relictam viduam Henrici Ducis Bauariæ, quem deposuerat, filiam Lotharij Imperatoris Gertrudem dedit vxorem, & constituit eum Bauariæ Ducem.

Otto Episcopus Bambergensis, filius Comitis Bertholdi, audax vir, sanctissimæq; conuersationis his tẽporibus clarus habebatur.

RESTITVTIO DVCAtus Bauariæ ad legitimos hæredes.

Conrado Rege Romanorum mortuo, Fredericus huius nominis primus, filius Conradi Ducis successit. Hic Anno Domini M. C. LVI. Circa festum natiuitatis beatæ Marię semper virginis, Hẽrico Duci Saxonię filio Henrici superioris superbi, quondam Ducis Bauariæ, Ducatum rogantibus principibus restituit, amoto Henrico fratre Lupoldi Marchionis Austriæ: Facta sunt hæc Ratisponæ, Anno vt supra. Eodem tempore Fredericus Imperator, Marchiam Austriæ in Ducatum sublimauit, Primum Ducem in Austria constituens Henricum supradictum, fratrem Lupoldi, quem a Ducatu Bauariæ amouerat, absoluens eum ab omni Iurisdictiõe Ducis Bauariæ, dansq; nonnullos Comitatus Austriæ Henrico Duci Baua-

riæ in recõpenſam exemptionem. Nam ante hac Marchiones Auſtriæ, quocieſcunq; per Duces Bauariæ, ad curiam eorum fuiſſent vocati, tanq; ſubiecti illis ſolebant occurrere, quemadmodum Comites, & alij nobiles adhuc tenentur obedire. Idem Imperator Fridericus primus, Ducatum Bohemiæ erexit in regnum. Henricus Dux Bauariæ & Saxonię, filius Henrici ſuperbi, in paternam hęreditatẽ vtriuſq; Ducatus reſtitutus, ſumma ſolicitudine curabat, populum ſibi ſubiectum iuſte & ſecundum leges in omni pace, & tranquillitate regere & gubernare. Quicunq; leges ab eo æditas violaſſet, capite plectebatur, vnde pace per totam Bauariam cum iuſtitia cunctis facta, Dux Henricus in ore omnium laudem & honorem ſuper omnes principes illius temporis habebat.

TRANSLATIO DVCA-
tus Bauariæ ad Comites dę Scheyeren.

Cum Imperator Fredericus expeditionem paraſſet in Italiam, Henricum Bauariæ & Saxonię Ducem iam dictum in auxilium vocauit. Itaq; Henricus cum magno exercitu Italiam Imperatori laturus auxilium ingreſſus, ipſum Fredericum obuium habuit, dicentẽ, ſibi tantam armatorum multitudinem non eſſe neceſſariam, rogabatq; Ducem, vt cum ſuis remearet in patriam

triam. Vnus autē officialium Ducis inde comotus dixit ad eum: Illustrissime Princeps, coronam posuistis ad pedes, ne caput vestrum possit ascendere. Quod verbum in tantum displicuit Imperatori, vt ducem omnibus diebus vitæ suæ haberet exosum, atque a Ducatu tandem Bauariæ depositurit, conferens eum Ottoni Comiti de Scheyeren, qui fuit de genere Carolorum.

OTTO Dux Bauariæ, iste Otto fuit Comes in Scheyeren, de stirpe magni Ducis Cunonis, de quo supra dictum est, ex linea Caroli magni Imperatoris. Huic Fredericus Imperator Ducatum Bauariæ, vt legitimo & proximo hæredi, abrogato Henrico contulit, a quo omnes Duces Bauariæ, & Comites Palatini Reni, qui hodie sunt, descenderunt, sicut in sequentibus per ordinem dicemus.

Anno itaq; Domini M. C. LXXX. Otto Comes præfatus de Scheyeren factus est Dux Bauariæ, vir fortis, iustus, & in Christiana religione clarissimus: vxorem habuit deuotissimam nomine Agnetam, de qua genuit Ludouicum successorem in Ducatu Bauariæ, & Elizabeth, ante Reginam Iherosolimitanorum.

Anno Domini M. C. XXIIII. Otto Comes de Scheyeren, postea Dux, castrum Scheyeren Monasterium fecit in honorem Beatæ Mariæ semper virginis. Multi fuerunt eo tempore Comites in Bauaria, Titulum habentes de Scheyeren, sed nullus

eorum

eorum in ipſo caſtro morabatur, quod cum antiquitate nimia pene corruiſſet, Otto ſępe dictus, & Agnes vxor eius cõuocarunt omnes participes loci, videlicet Cõradũ, Comitẽ Ottonẽ, Comitẽ Tochanię, Ottonẽ comitẽ Palatinũ in Vuitelſsbach, Ottonẽ aliũ de Scheyern, Arnoldum Comitem cum alijs Septem, qui oẽs vnanimiter ius ſuum, quod in caſtro Scheyern habebant, beatæ Mariæ ſemper virgini ad cõſtruendũ monaſterium obtulerunt, Ipſumq; locum in ſepulchrum ſui, & generis ſui perpetuam eligerunt. Arnoldus aũt Comes partem ſuam non Deo, ſed Diabolo offerens, proiecta in aerem chyroteca ſua dixit: vos demũ diaboli, accipite partem meam in ius veſtrum: Chyrotecam dęmones abſtulerunt. Cæteri autem non obſtante vnius perfidia, inceptum opus hilari animo compleuerunt.

Anno Domini M. C. lxiiij. obijt Gebhardus de Burckhauſen Dux in Bauaria, moritur vir ſtrẽnuus, iuſtus, ac timens Deum. Eodem anno Dux Bauariæ, Dalmacię & Croatię Cõradus, moritur in Scheyern, qui ſibi memoriam æternam apud poſteritatem magnificis rebus acquiſiuit.

Henricus filius Ducis Hẽrici dicti Leonis Saxonię, frater Ottonis Imperatoris quarti, et Vuilhelmi ducis Brunſvvicẽſis, Comes Palatinus reni factus, vxorem duxit Agnetam, filiam Conradi Comitis Palatini reni, quę peperit ei duas filias, Gertrudẽ, quam Dux Bauariæ duxit vxorem, & Alheidem, quam duxit Ericus

cus Comes Badenſis. Mortua Agnete prima vxore, Henricus aliam duxit Agnetam filiam nobiliſſimi Comitis de Lanſsburg, ex qua non ſuſcepit liberos.

Anno Domini M. C. lxxxviij. Otto nobiliſsimus Bauariæ Dux moritur in monaſterio Scheyrn ſepultus, iuxta Bernherum fratrem, filium relinquens nomine Ludouicum.

LVDOuicus Dux Bauariæ, filius Ottonis ſupradicti, princeps mortuo patri ſucceſſit. Vxorem habuit Ludenellam filiam regis Bohęmiæ, quæ peperit ei filium Ottonem nomine, Ducem Bauariæ, & Comitem Palatinum, de quo poſtea dicemus. Hæc Ludenella ante Ludouicum nupſerat Alberto Marchioni de Pogen, cui peperit duos filios, videlicet Albertū & Bertholdum Marchiones poſt patrem.

Ludenella Duciſſa Bauariæ, vxor Ludouici, conſtruxit Monaſterium in Bauaria nomine Stedental, in quo & ſepulta iacet.

LVDOVicus Dux Bauariæ cum Imperatore Friderico ſecundo, Honorio Papa tertio, & Lupoldo Duce Auſtriæ perrexit ad terram ſanctam, qui inſidijs poſtea Imperatoris Friderici interfectus fuit apud Kelham. Anno Domini M. CC. xxxi.

OTTO Dux Bauariæ, Comes Palatinus Reni, filius Ludouici ſupradicti Ducis Bauariæ, patri ſuccedens, vxorem habuit Gertrudem filiam Hērici Comitis Palatini Reni, quæ peperit ei duos filios, Henricum & Ludouicum.

Iſte Ludouici Ducis filius Otto, Ducatum Bauariæ poſt patrem, vt legitimus hæres obtinuit, & Comitatum Palatinum Reni Heidelberg, cumq; ad eum pertinentibus, cum vxore in poſſeſsionem ſuccepit, quę Brubach in fœudum dedit Comiti de Catzẽellenbogen.

OTTO itaq; Dux Bauariæ, & Comes Palatinus Reni, in principio ſui regni pius ac ſtrenuus, ac iuſtus Princeps fuit, ſed poſtea propter diſſentationẽ, quam habuit cum Friderico Imperatore, & eius filio Conrado, ab Innocentio Papa fuit excommunicatus, qui ob hanc cauſam in odium cleri excandeſcens, malum malo adijciens, Anno Domini M. cc. xlv. cum in vigilia ſancti Andreæ Apoſtoli lætus cum vxore & familia fuiſſet, ſubitanea morte obijt.

OTTOne Duce Bauariæ mortuo, Ludouicus & Henricus filij eius Principatum patris inter ſe diuidũt, Ludouico cecidit Comitatus Palatini Reni, cum cæteris alijs in Bauaria ſuperiori, Henrico vero ſors dedit Lanſshutam, cum Bauaria inferiori. Anno Domini M. cc. lvi.

LVDOuicus Comes Palatini Reni, Dux Bauariæ, filius Ottonis Ducis Bauariæ, Princeps prædicti frater Henrici, primo duxit vxorem Mariam, filiam Ducis Barbanciæ, quam Anno Domini M. cc. xlvij. ipſe necauit, poſtea accepit Annam filiam regis Poloniæ. Genuit aũt tres filios: Ludouicum, Rodulffum Comitem Palatinum Reni, & alium Ludouicum,

poſtea

postea regem Romanorum, de quibus infra per ordinem dicemus.

Anno Domini M. cc. xlvij. Ludouicus Dux pro defensione Bauariæ Castrum, quod dicitur Fridburg contra Episcopum Augustensem, & ciuitatem construxit. Ludouicus post multa egregie perpetrata moritur, Et in Furstenfels, quod ante ipse construxit sepelitur, post quem filij eius surrexerunt, vt suo loco dicemus.

HENRicus Dux Bauariæ, filius Ottonis Ducis Bauariæ, & Comitis Palatini Reni iam dicti Ludouici, habuit vxorem Elizabeth filiam Beli Regis Vngariæ, qui fuit frater sanctæ Elizabeth viduæ, quæ peperit ei tres filios: Ottonem Regē Vngariæ, Ludouicū & Steffanum Duces Bauariæ, quorū in sequentibus faciemus mentionem. Anno Domini M. cc. xxxi. Albertus vltimus Comes de Bogen moritur, cuius Comitatus ad Duces Bauariæ conuertitur. Henricus Dux Bauariæ prædictus moritur, Anno Domini M. cc. xc. Et in Lanshuta sepelitur. Alij dicunt quod in Burckhausen sit sepultus. Reliquit autem tres filios de quibus postea dicemus.

RVDOlffus Comes Palatinus Reni Dux Bauariæ, filius Ludouici, cuius frater erat Ludouicus Rex Romanorum, de quo postea dicemus. Vxorem Mechtildem filiam Adolfi Regis Romanorū habuit, quæ peperit ei tres filios, Rudolfum, Rupertum, & Adolffum, de quibus postea dicetur, Ab isto Rudol-

lo descenderunt omnes Comites Palatini Reni, qui hodie viuunt, quemadmodum ex eorum Genealogia clare patebit in sequentibus.

Cū Ludouicus frater Rudolffi supradicti Comitis Palatini esset electus in Regem Romanorum, ipse Rudolffus id molestè ferēs, Fridericum Ducem Austriæ elegit in Regem Romanorum, Quod factum Imperator Ludouicus tam ęgre tulit, vt eum omnium possessione paterna spoliatum expelleret de patria, qui fugiens in Angliā, ibi mortuus est. Filij tamen eius, a fratre Imperatore, ad hæreditatē paternam admissi sunt, sicut dicemus.

LVDOuicus Comes Palatinus Reni Dux Bauariæ, Imperator Romanorum, filius Ludouici supradicti Principis, & frater Rudolfti, cuius iam fecimus mentionem, Imperator Romanorum factus est. Anno Domini M. ccc. xv. Vxorem habuit Margaretham Philippi Regis Francorum ex filia Natam. Soror enim Regis Philippi nupserat Vuilhelmo Comiti de Hannegau, quę peperit Vuilhelmum Ducem Hollandiæ, & Margaretam vxorem Ludouici ipsius Imperatoris, quæ peperit ei sex filios, Ludouicum videlicet Marchionem Brandenburgensem, Steffanum in Lantshuta, Albertum in Strubingen, Vuilhelmū Ducem Hollandiæ, Selandiæ, Frisslandiæ & Bredæ, Ludouicum qui dicebatur Romanus, quia Romæ natus fuit, Et Ottonem Brandenburgensem. Igitur ex hac Margareta vxore Ludouici Imperatoris, Ducatus

tus Hollandiæ, Selandiæ, Frisiæ, Henegauiæ, cũ alijs pertinentibus sibi terris ad Duces Bauariæ iure hæreditario peruenit. Anno Domini Milesimo tricentesimo vicesimo quarto.

Deinceps filios Henrici Ducis Bauariæ in Lantshuta habitantis, filij Ottonis Ducis, ac fratris Ludouici penes hos inseram, & generatiõis eorum seriem explicabo. Fuerunt autem tres, Otto Rex Vngariæ, Ludouicus & Stephanus Duces Bauariæ, sicut supra demonstratum est.

OTTO Dux Bauariæ & Rex Vngariæ, filius Hẽrici Ducis in Lantshuta cõmorãtis, frater Ludouici & Steffani Ducũ Bauariæ, vxorem habuit filiã Ducis Poloniæ, quæ peperit filium nomine Henricum, quatuordecim diebus ante mortem ipsius Ottonis. Anno Domini M. ccc. ix. Rex Vngariæ sine filijs mortuus est, vnde Principes Vngariæ Ottonem Ducem Bauariæ prædictum, vt hæredem regni vicinio rem (quia filius erat Beli Regis Vngariæ) missa legatione in Regem Vngariæ elegerunt, quem etiam cum gladio regali more coronarunt. Cum ergo Pannoniã valida manu intrasset, post aliquot dies consulentibus Vngaris, & omnimodam ei fidelitatem promittentibus, milites suos remisit in Bauariam, ac post coronationem suam, cum vlteriorem Vngariam penetrasset, ã quodam principe regionis captus fuit, cuius filiam cum nollet in vxorem recipere, ope cuiusdam famuli dimissus per murum, veste mutata, euasit solus, & in

forma ruſtica, Pruſcia, multiſq; peragratis terris, venit Vratislauiam, vbi cognitus & traditus, a duce Poloniæ captus eſt denuo. Cuius filia in matrimonium ſuſcepta, cum magno honore in Bauaria ſuſceptus eſt, Et non multo poſt obijt.

OTTO rex Vngariæ, ac dux Bauariæ, cum videret ſibi tempus imminere moriẽdi, filium ſuum Henricum puerum xiiij dierum, qui poſtea dicebatur princeps de Notterberg, & duos fratris ſui Steffani filios, Henricũ qui octo habebat ætatis annos, & Ottonem qui nec dum ſeptimum compleuerat annum, ciuibus in Lanſzhuta, & in Strubingen commiſit, nemini ſub iuramento tradendos quam Lodouico duci ſuperioris Bauariæ, & mortuus eſt Anno domini M.ccc xij Quo mortuo, nobiles terræ ſupradictos tres pueros Lanſzhutẽſibus, Strubingẽſibus ab Ottone ipſo commiſſos, ſibi donari poſtulabãt, volentes illos ſub tutelã ducis Auſtriæ locare, & dominium hoc in eum tranſferre. Itaq; Anno domini Mileſimo ccc xiiij in die ſancti Theodori martyris, per hanc occaſionẽ factum eſt prælium magnum inter ducem Ludouuicum poſtea Imperatorem, & ducem Auſtriæ, circa villam quandam Gamelſzdorff dictam. Et dux Lodouuicus victor euaſit, ſibiq; dominium puerorum ut legitimus tutor obtinuit.

STHEPHANVS dux Bauariæ frater Ottonis regis ſupradicti Vngariç, filius videlicet ducis Henrici in Lanſzhuta, reliquit duos filios: Henricũ, cõgnomen

to

to probũ,& Ottonẽ de Burghauſen. Henricus habuit vxorẽ filiam Ioannis regis Bohemiæ, ſicut poſtea dicemus,hos duos principes vna cũ filio ſuo Henrico Notterberger, Otto rex Vngarię & dux Bauarię iam moriturus ciuibus in Lanſzhuta & Strubingẽ commiſit, ad Lodouuicũ poſtea Imperatorem tutorem eorum legitimum deferendos: vt ſupra dictum eſt.

LVDOVVICVS dux Bauariç,filius Henrici ducis in Lanſzhut, ac frater Ottonis regis Vngariæ & Stephani ducis ſupradictorũ,ſine liberis mortuus eſt.

HENRICVS filius Steffani, congnomento probus vel ſenior,ad differentiã Henrici Iunioris filij Ottonis Vngariæ regis,dux Bauariæ,habuit vxorem filiam Ioannis regis Bohemiæ,quæ peperit ei filium nomine Ioannem, qui duxit in vxorem filiam ducis Ludouuici,ſed ſine liberis mortuus eſt non multo poſt patrem ſuum.

OTTO filius Steffani ducis Bauariç,frater ſupra dicti Henrici,qui vitam degebat in Burghauſen,mortuus eſt ſine liberis. Anno domini M. ccc.xxxv.

HENRICVS filius Ottonis regis Vngariæ dictus iunior,ſiue Notterberger,dux Bauariç,cuius mater fuit filia ducis Poloniæ,cum eſſet xx annorum, ſine liberis obijt. Anno dñi M.ccc xxxiij. Supradicti tres duces: Henric. ꝑbus, Otto frater eius de Burghauſen & Henri. Iunior ſiue Notterberger filius Otto. regis Vnga. Inferiorẽ Bauar.inter ſe diuiderũt,vt ſequitur

Diuiſio Bauariæ Inferioris inter prædictos duces.

Anno Domini M. ccc. xxxi. facta est magna dissentio inter Henricum Ducem cognomento probum ex vna, & Ottonem fratrẽ eius, & Henricum Iuniorem filium Ottonis regis Vngariæ ex altera parte, super Ducatu inferioris Bauariæ. Vnde Iohannes Rex Bohemiæ, socer Henrici senioris, cum alijs principibus cõuentum habuit in Ratisbona, sub certa spe, prædictos Duces in concordiam perducendi. Iam enim Ludouicus Imperator Vngaros in auxilium pro Ottone & Henrico iuniore uocauerat. Post multos tandem tractatus, consenserunt, vt inter eos partiretur Ducatus, quod & factum est, circa festum sancti Bartholomei Apostoli Anno vt supra. Sors itaq; sic cecidit: Henricus senior obtinuit Lantshut, Straubing, Scherdingen, Pfarkirchen, & alia castella circumiacentia. Otto frater eius accepit Burghausen, Ottingen, Transtein, Hall, & reliqua castella, vsq; ad Alpes Saltzburgenses. Porro Henrico Iuniori sors dedit Dingel, Fingen, Landauue, Vilhoffen, Deckendorff, Kampogen, Kelham, & alia in circuitu iacentia oppida, & castella. Anno Domini M. ccc. xxxij. Henricus Dux senior iterum cum Ottone fratre suo, & Henrico Iuniore super Ducatu Bauariæ altercari cœpit, & hi duo Ludouici Imperatoris auxilium inuocarunt, qui mandauit illi serio, vt quam cito à male cæptis desisteret. Quo nolẽte, Imperator collecto exercitu Straubingẽ in propria persona octo hebdomadibus acriter obsedit. Interea Iohãnes rex Bohemiæ de-

nuo

nuo aduenicns,pacem inter eos composuit. Henricus dux Bauariæ Iunior,filius Ottonis regis Vngariæ prę fatus moritur,Anno domini M.ccc.xxxiij sine liberis, Anno ætatis suæ xxi. Otto dux Bauariæ filius Steffani ducis sæpe dicti Anno domini obijt M.ccc.xxxv. sine liberis. Henricus senior frater Ottõis dux Bauariæ moritur Anno domini M. cccxlix. filium relinquens nomine Ioannem, qui patri in ducatu breui tempore viuens successor fuit.

IOANnes dux Bauariæ filius Henrici ducis senioris prædicti,patri mortuo in ducatu Inferioris Bauariæ successit annis paucis,vxorem habuit filiam ducis Ludouici,& non longe post patrem sine liberis moritur. Mortuo itaq; sine liberis Ioanne duce prænominato,Ludouicus Imperator & dux Bauariæ hæreditatem eius accepit,a quo sunt omnes duces inferioris Bauariæ qui hodie viuunt, vt suo loco dicemus. Et sic stirps Henrici ducis Lanszhutensis hic deficit. Anno domini M.ccc xv. Ludouicus dux Bauariæ in regem Romanorũ (sicut diximus)electus fuit, contra quem Fredericus dux Austriæ,per Rudulffum fratrem Ludouici,& quosdam alios, fuit electus in regem, vnde multa mala & bella orta sunt. In die igitur, quę festum sancti Michaelis procedit,vterq; cum multitudine armatorum processit ad bellum,inter Muldorff & Ortingẽ,in prato iuxta viam, in quo cum acriter pugnarent,Ludouicus victor euasit, Et Fredericum ducem Austriæ cepit,quem in castello quod dicitur Tausę-

nitz non longe a Naburg custodię mandauit, fratrem vero suum Rudolffum (vt satis diximus) spoliatum omnibus bonis in exilium compulit. Tandem Imperator Ludouicus, dolis & falsis literis magistri Vldarici de Austria cancellarij sui, indignationem Papæ Ioannis 22. incidit, a quo excommunicatus fuit. Quod quo modo acciderit, cum opus fuerit, latius declarabo. Ad hunc Imperatorem Ludouicum Vuilhelmus Ockan ordinis minorum, vir doctissimus, cum quibusdam alijs sui ordinis fratribus, a papa Ioanne 22. exacerbatus confugit, apud eum defensus mansit, & contra Papam scripsit, eumq; hæreticum declarauit. De quibus latius habetur. Ludouicus Imperator multa miranda fecit, & passus est, quæ in hoc compēdioso indice comprehendere nullo modo possum. Si necesse fuerit, oportuno tempore scribam. Anno domini M. ccc xlvij in die sancti Gerionis martyris, Imperator Lodouicus in venatione constitutus, habebat in Comitatu suo ducissam Austriæ quandam, quam omnes propter tetram fædamq; corporis dispositionem Maultesch appellauerunt. Hæc vbi etiam ab Imperatore contemni se videbat, infremuit, & simulato hilari vultu, potū Imperatori, prior bibens ipsa postea obtulit, qui ex bona fide sumpto poculo, post moram paruam de equo interfectus cecidit, & in sinu cuiusdam rustici inclinatus exspirauit, in nemore prope Furstenfelt sepultus est, in ecclesia beatæ Mariæ semper virginis.

Nunc de filijs Rudolffi Comitis Palatini Reni, & ducis

cis Bauariæ, fratris Ludouici Imperatoris supradicti, seriē generationis continuabo, a quo omnes comites palatini Reni huius tēporis descenderūt, Postea filios ipsius Ludouici Imperatoris adiūgam, a quibus duces Inferioris Bauariæ exorti sunt, quia generatio principum multiplicata deinceps in varias successiones successit, solos principales duces Bauariæ ac Comites reni Palatinos scribā. Igitur fugato in Angliam Rudolfo Comite Palatino Reni & duce Bauariæ supradicto a fratre suo, quemadmodum nos dixisse meminimus, & mortuo, Imperator Ludouuicus dixit, cum filios eius vidisset: Pater et non filij in me deliquit, vnde non est æquum pœnam alieni sceleris eos subire, dedit itaque eis potestatem eligēdi inter Bauariam, Suéuiam, Austriam, & Renum, quam ex his prouincijs voluissent, qui consilio prehabito hereditatē paternā, scilicet Comitatum Palatinum reni, cum suis proprietatibus & cæteris ciuitatibus in Bauaria, videlicet Amburg, & Naburg, cum adhærentibus sibi alijs elegerunt, Anno domini M. ccc. xxxix. sexta feria ante diem sancti Osuualdi martyris. Filij autem Rudolfi fuerunt tres: videlicet Rudolffus, Adolffus, & Rupertus. De quibus per ordinem dicemus.

RVDOLffus primogenitus Rudolffi supradicti Comitis palatini reni, non multum sapiens vel astutus fuisse perhibetur, vxorem habuit Ludouuici regis Vngariæ sororem, quę peperit ei filiam nomine Margaretam, quam duxit vxorem Carolus Bohemię rex,

poſtea Imperator Romanorum. Rupertus aũt ſine filijs mortuus eſt, & ante chorum eccleſię in noua ciuitate ſepultus. Margaretha filia Rudolphi & vxor Caroli regis Vngariç, peperit tres filios et duas filias: Vuenceslaum regem Romanorum poſt patrem, Ioannem regem Bohemiæ, Sigiſmundũ regem Vngariæ, & poſtea Imperatorem. Helenam quæ accepit filium regis Angliæ, & Margaretham vxorem marchionis antiquæ Marchiæ.

ADOlffus Comes palatinus Reni, & dux Bauariç, filius Rudolffi principis, & frater ſupradicti Rudolffi habuit vxorem filiã Comitis de Ottingen, quæ peperit ei filium nomine Rupertum Iuniorem, qui & nomine patris plærunq; dicebatur Adolffus, de quo poſtea dicemus.

RVPErtus filius Rudolffi, princeps, & frater ſupradictorum principum, Rudolffi & Adolffi, Comes Palatinus reni, & dux Bauariæ, habuit duas vxores: prima fuit Mechtildis duciſſa Brabanciæ, quæ ſine liberis mortua eſt, ſecundam Beatricem filiam ducis Montenſis, à qua liberos non ſuſcepit. Iſte Rupertus vniuerſale gymnaſium Heidelbergẽſe fundauit, quod Benedictus papa xij confirmauit. Eccleſiam quoq; collegiatũ in noua ciuitate pulchro tabulatu lapideo conſtruxit. Moritur autem Anno domini M. ccc xl. xij die menſis Februarij, in choro Eccleſiæ nouæ ciuitatis ſepultus. Conſequenter filios Ludouuici Bauari Imperatoris, & ſucceſsiones eorum per quos Bauaria infe-

rior

rior possessa est annotabo.

LVDOuicus marchio Brandenburgensis, filius Ludouici Bauari Imperatoris, vir pius, iustus, & belli cosus, vxorē habuit filiam comitis Tyrolēsis, quæ peperit ei filium nomine Meynhardum, qui postea fuit Cōmes in Tyrol, qui duxit vxorē Adolffi ducis Austrię sororē, & sine hæredibus mortuus est, cuius vxor Comitatum Tyrolensem fratri suo Rudolffo duci Austriæ fecit esse subiectum, vnde dissentio inter duces Bauariæ & Austriæ non modica facta est.

STEffanus dux Bauariæ, filius Ludouici Imperatoris & ducis Bauariæ, ac frater supradicti Ludouici Brandenburgensis morabatur in Lanszhuta. Habuit autem tres filios: Steffanum, Ioannem, et Fredericum, qui post mortem patris ducatum eius inter se diuiserunt Anno domini M.ccc.xcij. Ioannes accepit Bauariam superiorem videlicet Monchē, cum suis attinencijs, Steffanus Ingelstat, et Fredericus Lanszhutam in sortem acceptauit, de his suo loco dicemus.

ALBERTVS dux Bauariæ de Strubingē, filius Ludouici Imperatoris, & frater duorum ducum prædictorum, Ludouici & Steffani, pro portione patrimonij sui, Strubingen cum illi adherentibus accepit, bonus, iustus, ac pius princeps Habuit vxorē filiam Ludouici ducis Poloniæ, quæ peperit ei tres filios: Vuilhelmum, Albertum et Ioannem, e quibus Albertus possedit Bauariam inferiorem, Strubingē videlicet cum adiacentibus. Non habuit vxorē & mortuus

est sine liberis. Ioannes autem electus Leodiensis, qui post mortem fratris, Episcopatum quem multis annis vt electus possidebat, dimittens, duxit vxorem, sacro Constantiæ cum eo disputante consilio, quemadmodum suo loco dicemus.

Habuit etiam dux iste Albertus supradictus duas filias, quarum vnam in vxorem accepit Iohannes dux Burgundiæ, quæ cõtra Turcos duxit exercitũ. Aliam nomine Ioannam accepit Albertus dux Austriæ, quæ peperit ei filium nomine Albertum, et filiã nomine Elizabeth. Albertus duxit vxorẽ Elizabeth filiã Sigismũdi Imp. Roma. Aliam duxit in coniugẽ Henricus dux Bauarię filius ducis Lanszhutensis. Anno dñi M.cccc v. Albertus dux Bauariæ supradictus moritur, filius videlicet Ludouici Imp. & in Hollãdia iacet sepultus, cuius titulus erat iste: Alber. dei gratia Comes Palatinus Reni, dux Bauariæ, Comes Henegauię Selandię, Hollandiæ, & dñs Frisiæ. Mortuo autem duce Alberto, Vuilhel. filius eius Comitatus et dominiũ inferioris terræ Henegauiæ, Hollan. Selandiæ et Frisiæ post eũ paucis annis gubernauit, qui & ipse mortuus est anno dñi M.cccc ix, cuius filia nomine Iacoba hæreditatẽ paternam sibi vendicare et possidere volẽs, se filiã prędictorũ comitatuũ scribebat. Contra Ioan. frater patris sui, episcopatũ Leodieñ. dimittẽs, (sicut diximus) terras istas & comitatus per uim multis bellis in suam potestatẽ rẽdegit, qui spe successionis, vxorẽ duxit filiam Ioannis ducis Gerlitzensis, sed tamen sine liberis decessit,

sit a magistro curię suæ intoxicatus Anno dñi M.cccc xv́, post cuius mortem domina Iacoba, fratris sui Vuilhelmi filia, iterum terras illas iure hęreditario possidere properabat, contra quam dux Burgundię iunior se erigens, terram inuasit, & obtinuit, possidens eam in successione stirpis suæ vsq; in hodiernam diem.

VVILHELmus dux Bauariæ Comes Hollandię &c. Filius Ludouici Imperatoris Bauari, ac frater prędictorum principum, qui dicebatur Hollant, fuit vir bonus & strenuus. Hic intoxicatus ab impijs & peruersis hominibus, liberum rationis vsum amisit, & sine liberis mortuus est, Cuius dominium Albertus frater eius suscepit.

LVDOVICVS Romanus, dux Bauariæ filius Ludouici Imperatoris, ac frater supranominatorum principum, ideo dictus fuit Romanus, quia cum Imperator vna cum vxore Romæ esset constitutus, ibidem natus est, qui & ipse sine liberis decessit.

OTTO Brandenburgensis dictus, dux Bauariæ, filius Ludouici Imp. & frater prædictorũ principum, ac Marchio, etiã mortuus ẽ anno dñi M.ccc.lxxix. sine liberis. Anno domini M.ccc liij Ludouicus Marchio Brandenburg. Rupertus, id est Adolffus senior Comes palatinus reni. & Ioãnes Burggrauius Numburgensis, inter Stephanum, Albertum, & Vuilhelmum filios Ludouici Imperatoris ducatum Bauariæ diuiserunt, de quibus dictum est. Actũ Ratisponę in die S. Osualdi. Anno dñi M.ccc xlviij. dñs Conradus

de Deck in domo ſua in ciuitate Monacenſi a Snickero de Gundelfingen interfectus eſt. Albertus dux Bauariæ filius Imperato. Ludouici caſtrum Notterberg & Strubingen muniuit contra metum Caroli Imperatoris, de quo fama fuit, quod bello vellet eum impetere. Sed concordia interueniente diſſenſio ſedata eſt.

RVPErtus Comes Palatinus reni, & dux Bauariæ, qui & Adolffus, filius Adolffi principis Palatini, de quo ſupra fecimus mẽtionem, dictus etiam iunior, ad differentiam ſenioris, Ruperti fratris patris ſui vxorem habuit Beatricem filiam regis Siciliæ, quę peperit ei Rupertum paruum, poſtea regem Romanorum, de quo ſuo loco dicemus.

Rupertus iſte Comes Palatinus reni & dux Bauariæ ac Princeps elector, vir ſtrennus, & arte bellandi valde promptus, tẽpore Caroli Imperatoris, Saxoniam armata manu ingrediens vno die bis triumphauit de Saxonibus, tertio vero congreſſu victus ab eis & captus eſt.

Iam nunc ſeriem generationis ducum Bauariæ ex filijs Ludouici Imperatoris deſcendentium proſequamur, quia de ſtirpe Rudolffi Comitis Palatini, præter præfatum Rupertum ſemen virile non fuit.

MEYNhardus Comes in Tyrol, filius Ludouici Brandenburgenſis, qui fuit filius Ludouici Bauari Imperatoris: habuit vxorem Adolffi ducis Auſtriæ, & ſine liberis obijt, cuius ducatũ vxor eius fratri ſuo Rudolffo Auſtriæ duci tradidit, non ſine pręiudicio ducũ

Bauas

Baua. Præter istũ Meynh. Ludoui. filios non reliquit.

STEPHAnus dux Bauariæ filius ducis Steffani, qui fuerat filius Imperatoris Ludouici, qui possidebat Ingelstat, cum sibi adherentibus, genuit duos filios Ludouicum ducem Bauariæ in Ingelstat, & Ioannem Episcopum Ratisponensem, ac filiam vnam nomine Elizabeth, quam rex Francorum accepit vxorem.

IOANnes dux Bauariæ superioris filius Steffani ducis, filij Ludouici Imper. ac frater supradicti Steffani habuit vxorẽ filiã ducis Gerliceñ. de qua genuit Ernestũ & Vilhelmũ filios, ac Sophiã filiã vnam, quã dedit vxorem Vuenceslao regi Romanorum. Hic dux Ioannes pro partitione paternæ hæreditatis obtinuit Monacum cum alijs circumiacentibus castellis.

FREDERicus dux Bauariæ, filius Steffani, filij Ludouici Imperatoris, ac frater prædictorum principum Steffani & Ioannis, in partitionem hæreditatis paternæ Lanzhutam obtinuit cum sibi adhærentibus. Vxorem habuit sororem ducis Mediolanensis, quæ peperit ei filium vnum, Henricum in Lanszhut, & duas filias: Margaretham videlicet, & Elizabeth, quam dedit vxorem Frederico Burggrauio Nurnburgensi quẽ Imp. fecit Marchionẽ Brandenb. Steffanus quoq; supradictus frater huius Frederici, aliã sororẽ ducis Mediolani, vxoris huius sororẽ, duxit vxorẽ.

Hæreditatis paternæ diuisio inter præfatos tres principes Bauariæ facta est Anno domini M.ccc xcij.

Nunc de filiorum Alberti, filij Ludouici Imperato

ris, ac fratris prædictorum Ludouici & Steffani gene rationis serie dicamus. Fuerunt autem tres, Vuilhel⁹ mus, Albertus & Ioannes.

VVILHELmus dux Bauariæ filius Alberti, filij Ludouici Imperatoris supradicti, pro hæreditatis pa⁹ ternæ portione factus Comes Henegauiç, Hollandiç, Selandiæ & Frisiæ, non reliquit semen virile, sed ha⁹ bebat filiam vnam nomine Iacobam, quæ primo nu⁹ pserat Delphino Franciæ, postea duci Brabantiæ, de⁹ inde fratri Regis Angliæ, & vltimo cuidam nobili di⁹ cto Francken Hic Vuilhelmus, mortuo suo patre, co mitatum Heuegauiæ, Hollandiæ, Selandiæ & domi⁹ nium Frisiæ hæreditario iure possedit.

Vuilhelmus iste dux Bauariæ &c. mortuus est nul lo relicto filio Anno domini M.cccc ix, post quē Ioan⁹ nes electus Leodiensis, frater eius, repulsa filia fratris Iacoba, dominium eius multorū sanguine acquisiuit.

ALBErtus dux Bauariæ filius Alberti ducis in Strubingen, filij Ludouici Imperatoris, frater supra⁹ dicti Vuilhelmi, vir fortis, iuuenis, & decorus facie, qui post obitū patris inter fratres suos obtinuit Stru⁹ bingen cum adiacentibus castellis, villis, & proprie⁹ tatibus. Non habuit vxorem, & sine filijs decessit, se⁹ pultus in medio choro fratrū Carmelitarū in Strubin.

IOANnes dux Bauariæ filius Alberti ducis, filij Ludouici Imperatoris, frater Vuilhelmi & Alberti supradictorum principum, Electus in Episcopum Le odicensis Ecclesiæ multo tempore fuit, hic post mul⁹

tos annos mortuo fratre ſuo Vuilhelmo, Comitatum Henegauię,& Hollandiæ cũ cęteris dominijs eius obtinuit, Iacoba fratris ſui filia reclamante, qui ſperãs ſe legitimũ habiturũ hęreditatis ſuę poſſeſſorẽ, habita diſpẽſatione cõſilij Conſtant. duxit vxorẽ filiã Ioan. ducis Gerlicenſis, fratris Sigiſmundi Imperatoris, de qua legittimum heredem non ſuſcepit. Anno domini M. cccc viij. Iohannes iſte dux Bauariæ adhuc gerens ſe pro electo Leodiẽſis Eccleſiæ, a Leodibus obſidetur in traiecto ſuperiori poſitus, cui Vuilhel. frater eius ſępe dictus,& Ioannes dux Burgũdiæ, filius ſororis ſuę cum duobus milibus in auxilium occurrunt. Inito certamine, Ioannes & Vuilhelmus victores facti ſunt, & pluſquam xxv. milia Leodienſium proſtrauerunt. Porro de exercitu ſuo decẽ duntaxat cecidiſſe perhibentur. Anno dñi M.cccxxv Ioan. ſupradictus Bauariæ dux et comes, in Henegau, Hollant, Selant, et dominus in Friſia, veneno perijt, inſidijs Imper. dominij ſui cuiuſdã, quem magiſtrum curię ſolemus appellare. Mortuo aũt illo, Ioannes dux Burggun. filius ſororis eius, contradicẽte Iacoba filia Vuilhelmi ducis ſupradicti, quę fuit legitime hęres, Comitatum Henegau, Hollandię, Selandię, et dominium in Friſia potenter obtinuit, & ſic a ducibus & domo Bauarię principatus iſte ablatus eſt.

RVP. comes palatinus reni dux Baua. et rex Rom. filius Rupe. principis illuſtriſ. de q̃ ſupra dictũ eſt, vir potẽs, iuſtus, et miſericors in pauperes, vxorẽ habuit

Margaretham filiam Burggrauij Nurnburgẽsis, quę peperit ei sex filios, tres filias: Rupertũ dictum pium Fredericum Amberg, Ludouicum Barbatum principem electorẽ, Ioannẽ Naburg, Steffanũ Zueybrucken, & Ottonẽ Mosbach. Agnetã, Margaretham Elizabeth. De his principibus postea dicemus.

Anno domini M. cccc. circa festum Assumptionis Beatæ Marię semper virginis, conuenientibus in vnũ principibus apud Franckfordiam, & deposito Vuenceslao, Rupertus prædictus Comes Palatinus reni & dux Bauariæ, in Regem Romanorum electus fuit, & regnauit Annos decem.

Iste Rupertus dux & rex magnificus, exercitum duxit in Bohemiam, contra Vuenceslaum, & tam ferro quam igne multa genti Bohemorum mala intulit, & nonnulla castra & dominia Bauariæ ab illis possessa, ad duces Bauariæ reduxit, alia quoq; multa permagnifica fecit, quæ hoc loco non possumus enarrare, Moritur in Oppenheym Anno domini M. cccc x. mensis Maij die 18. in ecclesia sancti spiritus (quam ipse construxit) Heydelbergę cum vxore sepultus.

Consequenter seriem generationis ducum Bauarię ex Ludouico Imperatore descendentium primo continuabo, ac deinde filios regis Ruperti Comites Palatinos reni adijciam.

LVDOVicus dux Bauariæ filius Steffani ducis in Ingelstat, frater Ioannis Episcopi Ratisponensis, & Elizabeth reginæ Francorum, Comes in Montau, habu-

habuit vxorem nomine Annam sororem Starlaci regis Cypri, quæ peperit ei filium Ludouicum, qui dictus est Hogel, qui puer in sportula portatus a Parisijs in Bauariam fuit. Mater vero eius Anna moriens, sepulta est apud Prædicatores in ciuitate Parisiorum.

Iste Ludouicus dux Bauariæ & Comes de Montau, imagines illas precioſas ſaluatoris noſtri Ieſu Christi, ſanctæ Mariæ, & duodecim Apoſtolorum, quæ hodie ſunt apud ducem Georgium cognomento diuitem, ſecum ex Gallia portauit in Bauariam.

IOANNes dux Bauariæ Epiſcopus Ratiſponenſis, filius Steffani ducis in Ingelſtat, ac frater ſupradicti Ludouici, & Elizabeth reginæ Francorum, præfuit Eccleſiæ Ratiſponenſi Annis xxvi.

ERNEſtus dux Bauariæ filius Ioannis ducis in Munchen, ac frater Vuilhelmi ſequentis & Sophiæ vxoris ſecundæ Vuenceslai regis Bohemiæ ac Romanorum, in Munchen moram faciens, genuit filiū nomine Albertū Munchē, de quo poſtea loco ſuo dicemus.

HENRicus dux Bauariæ filius Friderici ducis in Lanſzhuta, vxorē habuit Elizabeth filiam ducis Auſtriæ, quę peperit ei filium nomine Ludouicum, quem appellabant diuitem, & duas filias, quarum vnam dedit duci Ottoni de Moſzbach, aliam Comiti Vldarico de Vuirtenberg. Habuit etiam duas ſorores quemadmodum ſupra diximus, quarum vna Elizabeth nomine vxor erat Frederici Burggrauij Nurenburgenſis, de qua nati ſunt, Albertus, Ioannes, Frede-

ricus, & alius Fredericus Marchiones Brandenburgenſes, & Margaretha quam Ludouicus Hogel dux Bauariæ duxit vxorẽ. Iſte dux Henricus Lanſzhuta in principio parcus fuit, & pauper, ſed in fine valde diues fuit inuentus, vxor vero eius mulier ingenioſa, omnes artes & ſcientias honeſtas amabat.

RVPertus Comes Palatinus reni & dux Bauarię, primogenitus Ruperti regis Roman. qui dicebatur Pipan, zelo fidei armatus, ſe cõtra Turcos nõ ſine magnis expenſis armauit. Nam anno dñi M.ccc xciiij. Ioannes dux Burgundiæ filius ſororis Alberti ducis de Strubingẽ, cũ magno exercitu venit in Bau. contra infideles pugnaturus, cui ſę Rupertus dux iſte cum multis alijs coniunxit, Cumq; tranſmiſſa Vngaria veniſſent ad quandã ciuitatẽ Turcorũ, quã ipſi Nicopolim, noſtri autẽ Schiltauue appellant, per diſſentionẽ principũ ab infidelibus victi ſunt, dux Burgund. cum multis alijs captus, innumerabiles occiſi, ipſe Rupert. vix euadens, pauper in Bauariam eſt reuerſus. Et nõ multo poſt ſine liberis moritur, & in Amberg ſepelitur.

FREDericus comes Palatinus reni et dux Bauar. ſecundo genitus Ruperti regis Roma. Comitis Palatini &c. ante patrem ſine liberis mortuus eſt.

LVDouicus Palatinus reni et dux Bauarię ac princeps elector, tercius filius Ruperti regis Rom. vir probus, iuſtus & ſanctus, qui per Chriſti amorem ſanctum ſepulchrum eius in Hyeruſalem viſitauit, & in mari grauiter infirmatus, cęcus, & claudus. Facta pere-

grinatione reuersus fuit, & quia barbam suam, quam de terra sancta reportauit, deinceps radi non permisit, dux cum barba, vel etiam cæcus a vulgo dictus est. Vxorē habuit Blancam filiam Henrici regis Angliæ, quæ peperit ei filium nomine Rupertum, qua mortua Anno domini M.cccc xxviij. mense Maio secundam duxit vxorem Mechtildem filiam ducis Subaudię, fœminam deuotam, atq; sanctissimā, de qua genuit tres filios: Ludouicum, Fredericum, et Rupertum, et quasdam filias, quarum duæ factæ sunt moniales, tertiam duxit comes Vuirtenburgensis vxorem, & post eum Albertus dux Austriæ, frater Frederici Impe. tertij.

Multa de isto principe laudum prçconia dicenda fuerunt, quæ & tempus ocioſum, & aliud volumen requirūt. Hic Ludoui. dux vniuersalis Sinodi Constātiensis electus, protector, defensor et aduocatus fuit. Ioan. 23. Papâ sibi a cōsilio traditū, ferme tribus annis in castro suo Manheym in custodia tenuit.

Anno dñi Mccccxxx. viij. 12. mensis Maij obijt Mechtildis coniunx istius serenissimi principis, tandem princeps iste Christianissimus Ludouicus propter cæcitatem, & varias infirmitates ab administratione sua fuit depositus, & non longe postea mortuus est anno domini M.cccc. vij vltima die Decembris.

IO Arī. comes Palatinus reni et dux Bauariæ, quartus filius Ruperti regis, dictus Neuenburger, vir bonus, et iustus. Habuit duas vxores: Catharinam filiam ducis Pomeraniæ, quæ peperit ei sex filios: Christophorum regem Daciæ, Norucgiæ & Suediæ, O-

tonem, Iohannem, alium Iohanem, Fredericum & Adolffum. Quinque vltimi omnes in pueritia mortui sunt. Secunda vxor fuit filia ducis Bauariæ Ernesti de Munchē, de qua nō habuit liberos. Iste dux Ioan. multa egit contra Bohemos scismaticos, et multa pro fide catholica ab eis passus est, sepultus est in Neuenberga, vir Deo dilectus.

STEFFAnus Comes Palatinus Reni & dux Bauariæ, quintus filius Ruperti regis, dictus Zuueibruker, propterea quod hanc in hæreditatē suscepit. Vir iustus, probus, & deuotus. Habuit vxorem filiam vltimi comitis Veldensis, quæ peperit ei quinq; filios: Fredericum de Simmeren, qui obtinuit Comitatum Spanheymensem, Ludouicum cognomento nigrum, qui obtinuit Comitatum de Veldentz, Rupertum Episcopum Argentinensem, Steffanum in Ecclesia Colonienſi Canonicum, et Ioannem Episcopum Monasterienſem, ac postea Medeburgensem Archiepiscopum, de his quoq; suo loco dicemus.

OTTO comes Palatinus Reni & dux Bauariæ cognomēto Moszbach, quā cū adhærentibus suis, in hęreditatē inter fratres possidebat, vltimus filius Ruperti regis Romanorum, habuit vxorem filiam Henrici de Lanszhuta ducis Bauarię, de qua genuit Ottonem Moszbach, Rupertum Episcopum Ratisponenſem, Ioannem & Albertum Canonicos. Iste Otto tandem moritur, & in Reichenbach sepelitur.

Multa de his principibus causa breuitatis cogor

omittę

omittere, quæ alio tempore latius poterunt explicari. Iam nũc propaginem ducum Bauariæ ex linea Ludouici Imperat. descendentium ex ordine continuemus.

LVDOuicus dux Bauariæ dictus Hogel filius Ludouici ducis Bauariæ & Comitis in Montau, natus est ex Matre Anna sorore regis Cipri, habuit vxorem Margaretham filiam Friderici Burggrauij Nurenburgensis postea Marchionis, de quo liberos non habuit, quo mortuo Ludouico Hogel, Martinũ Valenrode in Matrimonium occulte fertur suscepisse, & possidebat Friburg, quod postea vendidit Ludouico duci in Lanszhut cognomento diuiti.

ALBertus Munchen, dux Bauariæ filius Ernesti ducis, habuit vxorẽ filiã ducis Brunsch. de qua genuit quinq; filios: Ioan. Sigismun. Albertũ, Christophorũ, Vuolffgangum. De quibus suo loco dicemus. Iste Albertus in iuuentute sua habebat quandam concubinam, filiam cuiusdã Balneatoris in Strubingen, admodum speciosissimã, quam cæco nimium amore diligebat, hanc, pater eius dux Ernestus, volens consulere vtilitati filij potius quam voluptati, fecit submergi, de quo postea tamen doluit, cum ex vehementi dolore filij incendia & multa mala sequerentur.

ADOLffus dux Bauariæ filius Vuilhelmi filij Ioannis de Munchen, ex linea Ludouici ducis Bauariæ, Imperator sine liberis mortuus est.

LVDOuicus dux Bauariæ cognomento diues, filius Henrici diuitis, principis in Lanszhuta, duxit vxo

rem filiam ducis Saxoniæ, quæ peperit ei filium vnum Georgium nomine, qui hodie ducatum patris posſidet, & filiam Margarethã, mulierem deuotiſsimam, quam Philippus comes Palatinus Reni princeps Elector duxit vxorem. De quibus ſuo loco mentio fiet.

COMITVM PALATINORVM

reni ducumq; Bauariæ ſeries generationis conſequenter per ordinem eſt continuanda.

RVPErtus Comes Palatinus reni & dux Bauarię primogenitus Ludouici ducis cum Barba, ex Blanca prima vxore natus, dictus Engellãt, (qm̃ mater Anglica fuit) ſine liberis mortuus eſt, anno domini 1426.

LVDouicus Comes Palatinus reni dux Bauariæ, princeps elector, ſecundogenitus Ludouici Barbati, ex ſecunda videlicet vxore Mechtilde natus, duxit vxorem Margaretham filiam ducis Subaudię, de qua genuit filium vnum nomine Philippũ, inſignem paternę virtutis principẽ, qui iura parentis clara ſobole decoratus hodie poſsidet. Fuit aũt Ludouicus iſte pater Philippi vir bonus, iuſtus, pius, manſuetus & ad Deũ in omni feruore ſpiritus valde deuotus, quemadmodum vita & conuerſatio eius partim deſcripta, & eorum relatio teſtatur, qui eum probe nouerunt.

Mortuus vero princeps Chriſtianiſsimus, fratri ſuo Frederico filium ſuum vnigenitum Philippum, annum duntaxat ætatis habentem, vxorem clariſsimam, ac terram omnem commendauit. Ita vt cum

Philip-

Philippus annum decimum octauum attingeret, ei paternum principatum & dominium tanquam legitimo hæredi sine contradictione restitueret. Moritur itaq; Ludouicus clementissimus princeps, anno domini M cccclxix in die sancti Hypoliti martyris, in Ecclesia sancti spiritus Heidelbergæ est sepultus.

FREdericus Comes Palatinus reni & dux Bauariæ, tertius Ludouici cum Barbara filius, frater Ludouici supradicti principis, non habuit vxorem, nec hæredes legitimos reliquit, filios tamen duos genuit ex quadam Clara, quorum primus Fredericus in Ecclesia Spirēsi Canonicus fuit, secūdus Ludouicus comes in Leuenstein factus, adhuc hodie viuit. Sunt qui dicunt eum cum præfata muliere matrimonium in facie Ecclesiæ clandestine contraxisse, & quia gesta et bella huius Frederici nota sunt omnib, silentio transibo.

RVPertus Comes Palatinus reni & dux Bauariæ quartus supradicti Ludouici filius, & frater Ludouici ac Frederici, quæ sit passus ac quomodo, & quibus insidiantibus captus fuerit, cum etiam ipsi (vt ita dixerim) in plateis pueri nouerint, hac vice non opus est literis explicare. Nūc comitatum Palatinorum reni ducumq; Bauariæ, a Rudolffo quidē descēdentium, sed in aliam lineam diuisorum seriem, post Rupertum regem & Steffanum filium, cum Ioanne et Ottone Mosbach prosequamur.

CRISTOPHORVS Comes Palatinus Reni, ac dux Bauariæ, filius Iohannis filij Ruperti regis

Romanorum, post mortẽ Ereck e regis Daciæ, Norvegiæ & Suediæ filiam Ioannis Marchionis Brandenburgensis, quam cum tribus annis habuisset, sine liberis mortuus est, in Helmenszberg sepultus.

FREDEricus Comes Palatinus reni & dux Bauariæ, filius Steffani de Zuueybrucken, filij Ruperti regis Romanorum, duxit vxorem Margaretham filiam ducis Geldriæ, quæ peperit ei Ioannem paternæ possessionis hæredem, Steffanum Decanum Ecclesiæ Colonienſis, Fredericum Canonicum & Cantorem Ecclesię Maguntinẽsis, Rupertũ Episcopum Ratispo nensem, & Vuilhelmum Canonicum Treuerensem, qui iuuenis mortuus est in Treueris. Moritur autem Fredericus iste princeps iustus & pius, Anno domini M.cccc.lxxx. in choro monasterij regularum Rauengirszburg sepultus.

LVDOuicus Comes Palatinus reni & dux Bauariæ filius Steffani de Zuueybrucken filij Ruperti regis Romanorum, duxit vxorem, quæ peperit ei Casparum, Allexandrum & Ioannẽ, Bella quæ inter eum & Fredericũ Comitẽ palatinũ reni principem, nostri Philippi tutorem facta sunt, & quanta ex his passus sit damna, nota sunt omnibus in circuitu.

RVPERtus Comes Palatinus reni & dux Bauariæ filius Steffani filij Ruperti regis Romanorum, Episcopus in Ecclesia Argentinensi fuit.

STEFfanus Comes Palatinus reni et dux Bauarię filius Steffani filij Ruperti regis, & frater supradictorum

rum

rum principũ, Canonicus in Ecclesia Colonienſi fuit.

IOANnes Comes Palatinus reni & dux Bauariæ filius Steffani filij Ruperti regis Romanorum, vir doctus & morum honestate clarissimus, primo fuit Monasterienſis Episcopus, ac postea Medenburgenſis Archiepiscopus, de quo mihi multa laudum præconia se ingerunt, quæ modo non sunt styli officio commendanda. Anno domini M. cccc lxxv. non sine suspitione veneni mortuus.

OTTO comes Palatinus reni & dux Bauariæ filius Ottonis de Mosbach, filij regis Ruperti, non habuit vxorẽ. Vir ingeniosus, qui omnes scientias, maxime mathematicas earumq; pręceptores colit, & obseruat, viuit adhuc.

ALBErtus Comes Palatinus & dux Bauariæ, filius Ottonis Mosbach senioris vltimi filij Ruperti Regis, & frater Ottonis supradicti Iunioris, Episcopus est Argentinenſis.

RVPERtus Comes Palatinus Reni & dux Bauariæ filius Ottonis senioris de Mosbach, & frater Ottonis Iunioris & Alberti, Episcopus fuit Ratisponẽsis Ecclesiæ in Bauaria. Horum trium principum frater Iohannes etiam fuit Canonicus.

FINIS.

AD LECTOREM.

Ne mireris Candide Lector hanc Geneſin Illuſtriſſimorum Ducum Bauariæ, quæ quidem lectu ſcitúq; digna per ſe ipſa eſt, ad hanc noſtram ætatem non eſſe continuatam, Sed id potius Codicis antiquitati, Vnde hæc tranſcripta ſunt, condones, Siquidẽ autor hæc ad ſua uſq; tempora, tanq; delineans perduxerit. Nos uero ea quæ ob oculos ſunt, facilius inueſtigando conſequi poſſumus, quam ea quæ temporis uetuſtas longius á nobis remouit. Bene uale optime Lector.

FRANCFORDIAE AD Mœnum apud Cyriacum Iacobum.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA